
IN EPISTOLAM
EVSEBII ROMANI
AD
THEOPHILVM GALLVM
De Cultu Sanctorum ignotorum
APOCRISIS.
In qua contra Eusebium defenduntur Reliquiæ è Catacumbis Romanis erutæ.

AVCTORE

ALEXANDRO PLOVVIERIO
TORNACENSI
Presbytero, & Sacræ Theologiæ Doctore.

SANCTISSIMO D.D.P.N.
INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.





ROMÆ, Typis Ioannis Francisci Buagni. 1700.
Superiorum Permissu.

BEATISSIME PATER:



VOS vidit S. Ioannes, Apoc. 7. ex omnibus gentibus, tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amictos ſtolis albis, cum palmis in manibus eorum, coram Sanctitatis Veſtræ tribunali, hoc libello cauſam dicturos pro ſocijs ſuis anonymis, & ius petituros ſiſto, vt Beatitudo Sua, tanquam Chriſti Vicarius candido calculo illis faueat contra cuiuſdam Neoterici iniuſta molimina, Sanctitatem eorum impugnantis. Quanquam enim ipſi venerint de Paganorum tribulatione magna, lauerint ſtolas ſuas, & dealbauerint eas in ſanguine Agni, eò duriore etiam

nunc perſecutione vexari videntur quodammodo, quo vir profeſſione, & ementito Euſebij nomine bis religioſus, Religionis integritatem illibatam, ac legitimam Sanctorum venerationem eruditè primùm, ac ſtrenuè propugnans, poſtmodum non ſolum de veritate Reliquiarum, quæ è Catacumbis Romanis erutæ, cultui fidelium exponuntur, dubitauit, verùm etiam Sanctos illos, quos vocat incognitos, nullis certis approbari teſtimonijs aſſerere auſus eſt. Palmas, & vaſa ſanguine intincta inter ambigua martyrij ſigna conſtituens, Sanctitatis Veſtræ Cardinali Vicario, & Sacrarij Apoſtolici Præfecto Sacrarum Reliquiarum vindicatoribus, & diſpenſatoribus fidem abrogaſſe colligetur à legente epiſtolam illius, qui quò do-

ctior,

ctior, elegantior, ac eruditior est Eusebius Romanus nomine, eò faciliùs inducet vniuersos in malam suspicionem aduersùs Romanos, immò hoc pacto apud complures volens nolens, & fortè incautus populum fidelem à veneratione Reliquiarum distraxit. Illis, ni fallor, Beatissime Pater, prouidebitur scandalis, si Sanctitas Vestra hunc libellum figmentis illis occurrentem, quem ad pedes suos humillimè prouolutus offero, consecro, ac dedico, sua fulciat protectione. Volumine quidem exiguus est, sed quantùm opus est, vt opinor, roboratur argumentis, quibus Eusebij cauillationes refutentur, Sanctorum cultus in fidelium animis restituatur, & Catacumbarum, quas persecutionis tempore incoluerunt Summi Pontifices Cal-

liſtus I. Vrbanus I. Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Stephanus I. Sixtus II. Caius, Liberius, Bonifacius I. Ioannes III. &c. honor reparetur.

Cœterùm ſi quid eorum ipſi deſit, auctoritatis Apoſtolicæ nomen, religionis veſtræ integritas, vitæ Sanctitas, ac innocentia nulli ſuorum prædeceſſorum impar, mirum in modum, ac perabundè omnes meæ tenuitatis ſupplebit defectus. Hanc gratiam per interceſſionem omnium Sanctorum Martyrum, qui pro Chriſto ſanguinem ſparſere, etiam atque etiam rogat.

Sanctitatis Veſtræ.

Humillimus, Obſequentiſs. & Deuotiſsimus Seruus.
Alexander Plouuierius.

Mihi

Mihi commissum à Reuerendiss.Sacr.Palatij Apostolici Magistro P. Fr. Paulino de Bernardinis examen Libri, cuius Titulus *In Epistolam Eusebij Romani ad Theophilum Gallum de Cultu Sanctorum ignotorum Apocrisis*, in qua contra Eusebium defenduntur Reliquiæ è Catacumbis Romanis erutæ Auctore Alexandro Plouuierio Tornacensi Presbytero Sac.Theol.Doctore, accuratè pro viribus peregi. Cumque nihil contra Fidem, bonosue mores in eo repererim, immò eruditam difficultatum enodationem, dignum Typis opus esse censeo, vt si quod vulnus circa Reliquiarum venerationem à Romanis Præpositis transmissarum in animis piorum fidelium inhæserit ex lectione illius Epistolę, hac aperta veritatis defensione curetur. Romæ ex Vrbano Collegio de Propaganda Fide die 4. Aprilis 1700. Anno Iubilæi.

Ioannes Pastritius Phil. ac Sacr. Theol. Doctor, ac in eodem Collegio Theologiæ Polemicæ Lector Iubilatus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacr. Pal. Apoſt.

Dominicus Belliſarius de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sac. Apoſt. Pal. Magiſter.

IN

IN EPISTOLAM

EVSEBII ROMANI AD THEOPHILVM GALLVM

De cultu Sanctorum ignotorum

APOCRISIS.

PRAEFATIO.



QVAM primùm percepi te apud probos pariter, & doctos malè audire, ò eruditissime Eusebi, propter epistolam à te de cultu Sanctorum ignotorum scriptam, diligentissimè Theophilum Gallum exquisiui, qui mihi eam saltem semel legendam traderet, vt pro meo in te amore, mihi suppeteret de contentis in ea magis gnaro, tum

tum dictis, cum scriptis obtrectatorum ora obstruendi facultas, si minima te excusandi affulgeret occasio; aut si te in aliquo non planè instructum deprehenderem, de re ipsa, vti se habet, facerem certiorem. Non enim te vellem cum λειψανομάχοις ab ineruditis accenseri, proùt nimius aliquorum feruor videtur expetere. Sed plusquàm annus integer elapsus est, antequam mea complerentur vota; quia præ paucorum manibus reperiebatur tua ad Theophilum Epistola. Fauente tandem Deò mihi occurrit Theophilus summa mihi necessitudine coniunctus, qui non solùm suæ epistolæ me fecit dominum, sed etiam instanter adhortatus est, vt pro meò captu sui loco ad te aliquam apocrisim dirigerem. Illud onus adeo libentiùs suscepi, quo me ad amicis meis morem gerendum in quibus pietas permittit, in dies promptiorem persentio. Seriùs quidem quàm par fuisset, debitum solui, sed sine negligentiæ vitio, cum varijs distentus curis, furtiuis dierum, ac noctium momentis vti debuerim

rim, vt huic apocrisi finem imponerem.

Prima fronte se exhibet fictitium Eusebij Romani nomen, quo pietatem Romanam vis æmulari, quamuis paulò post te ipsum latentem reueles tua scripta percurrentibus. Nolo tibi hoc in magnum crimen vertere, quod vt nosti, Sacra, & Romana iura tam acriter amouent iuxtà Tridentinum, vbi inhibetur ne sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, & sine nomine Auctoris, imprimantur libri. Et ne quis ignorantiæ excusationem prætexere queat, eadem prohibitio renouatur regula X. indicis librorum iuxtà Concilij canones prohibitorum, paragraphis insuper vno, & altero de impressione librorum. Quam regulam, etiamsi ad disciplinam pertineat, totis vlnis in Gallia pro pietate Ludouici Magni recipi censeo si quidem iam laudatum decretum sancitum est contra hæreticos, qui tunc etiam Galliam libris suis anonymis, & pseudonymis inficiebant: Et cum eo temporis Galli media suffocandæ, penitusque ex-

Sess. IV.

tir-

tirpandæ hæreſeos inquirerent, & illo ad id efficacius inueniri nequeat, non eſt quod dubitem, quin Rex Chriſtianiſſimus, qui reuocato Nannetenſi edicto, aut pertinaces regnicolas ad fidem Catholicam redire, vel è Regno egredi iuſſit, Proteſtantibus ſemper inuictiſſimus bella indixit, & nouiſsimè IV. pacis de Riſvvich articulo inſiſtens, contrà deteſtabilem hæreticorum conatum Neocatholicos in Alſacia degentes in Religionis Romanæ libertate ſuſtinuit, tam ſalubris decreti obſeruationem exoptet. Quo religioſè ſeruato nullus remanet locus, quominùs Nouatores, vt ſe ſingulari ingenio præditos palam faciant, nouas ſpargant opiniones, iam ſepultas renouent, libros famoſos, aut ſeditioſos in lucem emittant in Religionis Catholicæ,& in Monarchiæ quaſi irreparabile damnum.

At hæc miſſa faciamus. Si de pſeudonymis hic fuſiùs eſſet diſſerendum, Abbas Germanus ante me monere poſſet,quot mala ex pſeudonymis oriri poſſint, vtpotè qui contra tuam S. Auguſti-

ni edi-

ni editionem à doctis vnanimiter laudatam scribens, tantas vigilias tuas, peregrinationesque infructuosas reddere pro virili, sed sine effectu, conatus est. Ad rem nostram maturiùs properemus.

I.

Occasione duorum tumulorum cum inscriptionibus, quorum vnus in Vesontionensi, alter apud Ambianos nuper est repertus, quæris an, si corpora in illis contenta probentur esse Sanctorum, illis idem cultus impendi possit qualis Sanctorum corporibus Roma aduectis à quibusdam reddi solet, corpora eorum non modò solemni pompa in Ecclesias inferendo, verum etiam eorumdem solemnitatem quotannis cum octaua celebrando, in pulpitis panegyricas orationes declamando, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponendo.

Huic quæstioni, vt Eusebium Romanum decebat, fecisses satis, si tales abusus iam ab Ecclesia decreto solemni Sac. Congregationis Rituum reprobatos era-

dica-

dicare tentans, falsis argumentis ipsas non exauctorares reliquias. Cauendum enim est, ne zizania euellendo triticum eradicetur, & ne Lutheri vllum vestigium sequamur, qui ex abusu indulgentiarum, ipsas quoque sustulit indulgentias.

Rem profecto lubricam, & difficilem, vt ore proprio confiteris, aggressus es, quæ nulli Romanorum grata sit, vt potè quæ cęteris anteponenda est, violat, impiæ hæreticorum subsannationi Romanam exponit Ecclesiam, fidelem populum in venerandis reliquijs mille dubijs exagitat, sicque pedetentim à dogmatibus credendis, qua par est, intellectus captiuitate, auertit. Verum quidem est quod tuam sententiam propositurus promittas fore vt nihil sis assertu-rus, nihil temerè definiturus; sed hoc satis non est, Nosti optimè, quam plures esse, qui verbo se subijciunt, reipsa verò promissa non implent.

II.

Postquam optimè at eruditè more

tuo

tuo cultum Sanctarum Reliquiarum, & Cęmeteriorum Romæ venerationem ex SS. Patribus comprobasti num. 1. abusus à Sacra Congregatione Rituum agnitos reiecisti num. 2. quatuor regulas num. 3. apponis, quibus religiosi honores legitimis Sanctis decernuntur.

Prima est, vt Sancti illi nequaquam dubij sint, & incerti, sed certis, & indubitatis recogniti argumentis.

Secunda est, vt ex certis, & indubitatis Sanctis (de Confessoribus loqueris) illi dumtaxat colendi toti Ecclesiæ proponãtur, & imitandi, qui inter eos illustriores fuerint, idque præclaris, & heroïcis gestis consecuti sint, vt eorum vita fidelibus omnibus in speculum, & exemplum proponatur.

Tertia est ex prædictis consequens, vt eorum nomina, & facta perspecta sint, aut ex traditione maiorum, aut ex indubitatis posterorum testimonijs; &, si quidem pro Martyribus habeantur, vt de eorum passione pro Christo tolerata constet, non vanis, & æquiuocis coniecturis, sed certis argumentis.

Quar-

Quarta denique regula eſt, vt omnibus Sanctorum factis, virtutibus, & miraculis, eorumque circumſtantijs attentè conſideratis, & expenſis, de eorum cultu ſtatuat Eccleſia, vel Summus Pontifex, cui maximè credita eſt harum rerum definitio.

Hæ quatuor regulæ, eruditiſsime Euſebi, optimè quadrant Sanctis, quos vocas, nouos, tametſi num 4. illud apertè neges: *Sancti*, inquis, *huiuſmodi nequaquam certi, & indubitati, immo dubij, & incerti ſunt, nullis certis approbati teſtimonijs, & indicijs*. Sed quomodo id probas?

Horum corpora erui è veteribus Romæ cęmeterijs, quę catacumbas vocant, ac ſolis Chriſtianis hæc ipſa fuiſſe propria ingenuè confiteris, vt antea probaueras num. 1. ex horrore, & odio, quo Chriſtiani auerſabantur Gentiles, per S. Cyprianum, qui Martialem Hiſpanum Epiſcopum, ſuo ſubmotum Epiſcopatu, quia cum gentilibus communicauerat, & ſuos filios in prophanorum ſepulcris recondiderat, ſic exprobat. *Martialis*

tialis quoque præter Gentilium turpia, & lutulenta conuiuia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud prophana sepulcra depositos, & alienigenas consepultos, &c. Ep.68. Hactenus benè. Cur postea vteris hac restrictiua: *At solis Sanctis, siue Martyribus, siue confessoribus concessa negauerim,* cum nullus Prælatorum Sacræ Congregationis Reliquiarum id vmquam affirmauerit? Tecum illi consentiunt, illa Cœmeteria fuisse communia omnium fidelium conditoria, iam indè à primis Ecclesiæ incunabulis à fidelibus frequentata religionis causa, ob Martyrum corpora, quæ in illis sepulta iacebant. Non adeò creduli sunt isti Sacris Reliquijs Præpositi, vt existiment pro Sanctis credendos esse etiam primis illis temporibus fideles omnes, vt suspicaris. Inficias non eunt ad quartum, aut quintum Ecclesiæ sęculum vsque in communem vsum fuisse Catacumbas. Idcircò nullus eorum est, qui dixerit, totis illis sæculis nullos nisi Sanctos in illis Cęmeterijs fuisse depositos: ex an-

tiquis enim pœnitentialibus regulis, & antiquiorum Conciliorum canonibus ſat liquet inter fideles quoſdam fuiſſe enormibus peccatis obnoxios. Non ſufficit igitur ad aſſerendam Sanctis incognitis venerationem, quod eorum corpora è vetuſtis illis horrorem ſpirantibus repagulis effoſſa ſint; ſed alia ſanè exiguntur ad id probandum indicia, & argumenta, quæ, quia in paucis reperiuntur (comparatiuè loquor) pauci etiam venerationi fidelium exponendi traduntur, repudiatis quàm plurimis corporibus, quæ illis carentia argumentis in ſepultura relinquuntur. Superſtitionis inimica eſt S. Romana Eccleſia, quocirca cultus indebiti eliminandi cauſa, omnem adhibet diligentiam, vt Martyrum corpora à colendis non colenda ſecernat, vt nunc aperiam.

III.

Diſtinctis corporibus duplicis generis, quæ ex illis eruuntur Cœmeterijs,

alijs

alijs nempè abſque vllo nomine, aut inſcriptione: alijs, cum alterutro, aut cum vtroque, declaras primi generis Sanctorum nomina indi ſolere ab Eminentiſſimo Cardinale Vicario, vel ab Illuſtriſſimo Sacrarij Apoſtolici Præfecto, ob idque Sanctos huiuſmodi *baptizatos* appellari. Ita eſt, Euſebi; inde tamen nullam ſequi confuſionem velim, credas, dum Sanctorum nomina, quorum geſta nouimus, Sanctis tribuuntur incognitis. Ad omnem tollendam confuſionem vetat Eccleſia, ne Miſſæ, ne officia, nec conciones de illis fiant, quæ tamen alijs Sanctis conceduntur, ſed ſolùm permittit, vt illorum reliquiæ cultui, & venerationi fidelium exponantur in Eccleſia, vel in Oratorio.

In ſecernendis, inquis, *huiuſmodi Sanctis hęc ferè indicia obſeruantur, crux, aut palma; vel* ☧ *Christi monogramma paſſim cum litteris Græcis* A Ω, *boni Paſtoris, aut Agni figuræ, hiſtoriæ veteris, aut noui teſtamenti; aliaue id generis indicia tumulis eorum inſculpta. Sed hæc Chriſtianorum tumulos eſſe indicant, San-*

ctos eſſe non probant. Pace tua, dixerim, Euſebi, ſi palmam excipias, cætera ſi-
gna minimi fiunt. Et ratio quam reddis,
qua aſſumas ideò huiuſmodi ſignis tu-
mulos Sanctorum non probari, à verò
abſonat. Non enim concluditur non
ideò eſſe Sanctorum ſepulcra, quia,
vt credis multa id generis ſepulcra,
primorum Chriſtianorum in alijs re-
gionibus obuia ſunt, vt Neapoli in Cę-
meterio adiuncto ſuburbanæ Baſilicæ
Sancti Ianuarij, & in partibus Galli-
canis, ſi quidem non ſibi ſoli arrogat
Roma Sanctos habuiſſe Martyres, nec
alijs inuidet regionibus, quæ eorum
poſſident ſepulcra. Probè cognoſcit ex
vndecies decies centenis millibusMar-
1100000. tyrum, qui pro Chriſto ſanguinem fu-
diſſe à quibuſdam feruntur,ſolam Ægy-
ptum imperantibus Diocletiano,& Ma-
ximiano purpuratam fuiſſe ſanguine
centum quadraginta quatuor millium
ſignatorum, non computatis ſeptin-
gentis millibus in exilium pro fide
miſsis.

Cum

I V.

Cum Daniele Papebrochio contendis palmas haberi pro indicio Martyrij ambiguo, & illas non esse palmæ triumphalis, sed funebris cupressi notas. Sed quis non facilè discernit cupressum a palma ? Oculis ad hoc opus est, non rationibus; si tamen incidentis ruditas illas non confundat, vt in figuris exprimendis, cœterisque rebus, in picturis, & sculpturis veterum Christianorum sæpissimè occurrit. Cœterum posset quis aduersùs vos duos quantumuis eruditos viros ita differere. Esto, dato non concesso cupressus aliquando incisa reperiatur in sarcophagis fidelium, ideo ne pro sanctis habendi non sunt, si concurrant alia signa ? Potuerunt antiqui reliquiarum collectores cupressum vtpotè magis obuiam præ palma eligere condentes reliquias in tumulis non in signum lugubre, sed triumphale, præcipuè quando eò sæuitatis efferbuit persecutio sub Diocletiano, vt nulli quicquam vendere, vel



emere liceret, nisi quibusdam idolorum imaginibus vbique passim appositis thura prius adolerentur, essentque constituti circa insulas, vicos, & aquas compulsores, qui neque molendi neque hauriendi aquas potestatem facerent, nisi ijs qui idolis libassent. Cum ergo huiusmodi superstitioni non acquiescentes mactarentur, tumulis ità condendi erant, vt Gentiles inde illos ex dato signo non extraherent, & fideles eodem signo possent venerari.

Gentilibus enim insignum lugubre erat cupressus, quia sicut rami cupressi ex trunco decisi numquam radices immittunt, sic cadauer resuscitandum fore nullatenus credebant. At Christiani resurrectionem mortuorum pro articulo fidei tenentes, cupresso vsi fuissent propter mysticas significationes, quas illi tribuit post Origenem S. Ambrosius his verbis: *Genus hoc arboris nunquam amittit viriditatem suā hyeme, iuxta vere, atque æstate comam pascit, nec diuerso colore mutatur. Solam hanc arborem ventus suo nunquam honore despoliat. Sola nun-*

Orig. in Cant. homli. 3.

S. Ambr: 1: Psal: 118: Octon: 4:

quam

quam veteri exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Sic Apostolica quoque gratia nescit defectum, sed vetustate sui floret, anima igitur corrumpi nescit, quæ florentibus meritis vigens, semper iustitiæ, cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat, & ideo non defluit, neque decidit, quia in ea nihil rimosum est, ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit diffundi: Constantia igitur martyrum cupresso optimè designatur. Sed hæc ex abundanti dicta sint, non quod ità contigisse affirmem, verùm vt ostendatur infirmitas argumenti, etiam si cupressus esset, non palma.

Vano etiam studio consumeris, cum facta hypothesi, quod alicubi reperiantur incisæ verè palmæ, ex Baronio exhibente epitaphium Flauiæ Iouinæ filiæ Flauij Iouini hoc anno Consulis probare tentas nequaquam illis martyrium euinci. Annal. tom 4; ad an. 367;

Nam in primis aliud est reperire palmas in lapide insculptas, ad modum ornamenti stemmatis gentilitij; aliud est

casdem reperire, vt signum martyris certum. Pro signo martyrij indubitato non habentur, quando hinc indè ponuntur vt corona, vel sustentaculum stemmatis: at palmæ, quæ in Flauiæ epitaphio sunt, huius generis sunt, si tamen palmæ sint; Baronius enim dubitat, an fuerit palmæ, an verò ex lauro rami. Si igitur Eminentissimus Annalista Flauiam pro Sancta asserere recusauerit, partim ex hoc defectu prouenit; partim quia ex totius epitaphij attento examine lectori repente obuia est ratio, cur sanctitas illi neophytæ fuerit denegata. Sic se habet epitaphium. Præter amplissimam Christi monogrammatis figuram, & coronam veluti lauream eleganter circumornatam, erectis vtrumque duobus grandibus è palma, seu lauro ramis.

FL. IOVINA. QVÆ. VIXIT.

ANNIS. TRIBVS. D. XXXII. DEPOS.

NEOFITA. IN. PACE. XI. KAL. OCTOB.

Ex quo ſine labore inferre licet, puellulam triginta duobus diebus ſupra tres annos dumtaxat natam non potuiſſe peruenire ad palmam martyrij, eo tempore, quo nulla efferueſcebat perſecutio, aut quæ ſaltem in ſolos antiſtites ſæuiebat, ſcilicet imperante Valente Arianorum fautore.

Hæc dixerim: *Si Eminentiſſimus Annaliſta illam vt ſanctam aſſerere recuſauerit*, quia nullibi, quod ſciam, negat Baronius iſtam neophytam pro Sancta aſſertam fuiſſe, neque in Annalibus, neque in notis ſuprà martyrologium Romanum. Si alibi apud Baronium, tu, aut Papebrochius illud negatum legeritis, alteruter veſtrum mihi ad diſcendum per quemcumque paratiſſimo ſummam gratiam conferet locum indicandi, vt curioſitatis ergo ad illum recurram. Aliàs enim illud argumentum

pu-

purè negatiuum eſt, proindeque parum concludit, immò nihil, vt, cum de Sancto Cateruio loquar ex ipſomet Baronio euincam; ſiquidem non exprimi in Martyrologio Sanctum, vel Sanctam, non arguit è catalogo Sauctorum excludi; quandoquidem id euidenter innuit Eccleſiæ vſus, quo lectioni Martyrologij adiungitur hæc clauſula: *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Itaque ſi lauri ſint rami in Iouinæ ſepulcro, extrà diſputationis noſtræ campum ſumus; pro palmis enim certamus. Si palmas eſſe admittamus, iam illas incidendi modus non eſt conſuetum ſignum, quod Romæ obſeruant. Sed ſi quis velit in catalogo Sanctorum etiam reponendam eſſe Iouinam, in epitaphio illius inſculptæ eò pacto palmæ deſignant ab huius vitæ aſperitate tranſitum ad cœleſtis regni decorem, vt ſuggerit S. Ambroſius: *palmæ*, inquit, *radix aſpera eſt, ſed nitorem maximum habet in fine oſtendens per huius vitæ aſperitatem* (Serm. in Domin. Palm.)

ad

ad decorem cœlestis patriæ nos debere sustolli.

His addo Ecclesiæ loquendi modum denotare palmas esse indubitatum martyrij argumentum; cum enim in Martyrologijs, in libris, & in pulpito de Martyribus fit sermo, sic habet vsus loquendi: *Martyrij palmam consecutus est*, iuxta quem modum Sancta Agata Quintianum Prætorem de se ipsa sic alloquitur: *Nisi diligenter perfeceritis corpus meum à carnificibus attrectari, non potest anima mea in Paradisum Dominicum cum palma intrare martyrij*. Et de SS. Innocentibus canit Ecclesia.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma, & coronis luditis.

Huic consonat mos pictorum approbatus, quo Martyres à Confessoribus discernunt, illos palmas præ manibus tenentes repræsentando. Breuitati studens

S. Ambr. Serm. 2. Domin. Quadrag. S. Aug. Serm. de Innoc. S. Greg. l. 2. hom. 17. in Ezech.

dens omitto SS. Ambrosium, Augustinum, & Gregorium Magnum, qui vnanimiter palmam pro martyrij victoria explicandam esse docent.

Neque obstat allatum à Papebrochio decretum Sacræ Congregationis super Indulgentijs, & Sacris reliquijs, quo die 10. Aprilis 1668. statutum est *palmas eisque iunctum vas sanguine tinctum habendas esse pro signis certissimis* verarum reliquiarum. Nam duplici ex capite tibi nocet hæc auctoritas. Primò quidem, quia per Grammaticos superlatiuum supponit comparatiuum, & positiuum. Cum ergo Sacra Congregatio palmas cum vase sanguine intincto decernat haberi pro certissimis verarum reliquiarum signis, significat palmas per se solas esse certum saltem signum reliquiarum. Secundò per Papebrochium, *aliorum signorum examen in aliud tempus reiecit*, ergo cum tenuerit hactenus palmas esse signum martyrij indubitatum, adhuc idem tenendum est, donec aliud statuatur, quidquid dissentiant Papebrochius, & Eusebius Romanus.

At

V.

At fortè, inquis, *plus valebunt palmæ cum vasis sanguine tinctis?* Quid hic hęrendum erat, eruditissime Eusebi, post adeò apertã declarationem Sacræ Congregationis laudatam? Potest ne euidentius assignari signum sanguinis pro Christo sparsi ipso sanguine? Caue ne quis sibi nimium infensus, zeloque correptus dicat quod ipse *sit sanguis interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de eis, qui habitant in terra*, qui vindictam clamet in te sanguini Martyrum detrahentem. Sapienter quidem, & prudenter ab eadem Sacr. Congregatione decretum esse iudicas, palmas vasque sanguine tinctum haberi pro certissimis verarum reliquiarum signis, sed conditionali sequenti retractas ea, quæ rectè priùs dixeras: *si modo constet eiusmodi vasa sanguine tincta esse, non ad conser-* Apoc. 6.

nan-

uandos suffitus, aut odoramenta, aliaque id genus apposita fuisse Hæc coniectura stare nequit, nisi putes, Eusebi, Romanos reliquiarum inquisitorès, ac vindicatores dormiendo, aut clausis oculis illas approbare; facili enim negotio sanguis ab odoramentis, & suffitibus distinguitur. Vt tuam coniecturam probabilem reddidisses, tuum erat, vt mea est sententia, aliquod exemplum proferre vasorum in Catacumbis repertorum, in quibus loco sanguinis odoramenta, aut suffitus fuissent conseruata, & reposita. Priusquam illud adinueneris, noli fidelium pietatem tuis turbare dubijs, ac Prælatos in Diuinis, & in humanis peritissimos pro fallacibus tractare, ijsque fidem abrogare.

Legimus equidem in multis Sanctorum actis eorum corpora aromatibus, alijsque pretiosis vnguentis fuisse delibuta; at vasa odoramentorum in eorum sarcophagis apposita fuisse, nullibi hactenus scriptum reperimus. Refert Baronius de S.Petro Apostolo: *Cum in cruce sic affixus martyrium consummasset, à Mar-*

Annal. tom. 1. ad an. 69.

à Marcello Presbytero eius corpus curatum, aromatibusque conditum magnificentissimè more Regio, ne dum Iudaico tradidit sepulturæ. Balsamo pariter condita fuisse XII. Fratrum Martyrum corpora scribit Alfanus Archiepiscopus Salernitanus.

Tunc Marcus Præsul venerabilis Vrbis Ecanæ Apud Surium tom; 5; 1; Sep;
Cum Clero veniens Sanctorum corpora noctu
Detulit, & pretij fundens opobalsama magni,
Atque peregrino peregrinis rebus odori
Permixtis studio, solemnibus, & celebratis
Exequijs &c.

Pium illud officium à Presbyteris, immò à Papis religiosè obseruatum, vt speciatim legitur de S. Callisto, qui corpus Sancti Calepopij Presbyteri à piscatoribus in Tiberi repertum linteaminibus inuoluit, aromatibus condijt,

& de

& de S.Marcello, qui ad S. Lucinæ preces corpora SS.Martyrum Cyriaci, Largi, & Smaragdi vnguentis prætiosis inunxit: deuotis tamen matronis ad exemplum triumMariarum corpus Christi Diuinum, quæ vnxerunt, frequentius fuit, ità vt in actis S. Alexandri Martyris notemus Tiberianum Tribunum his in generosum Christi Athletam vsum fuisse minis: *Illud enim velim scias, carnes tuas, & ossa per singulas regiones,* Sur; to; 3; 3; Maij: *per quas ego transiturus sum dissipatum iri, ne mulieres ipsæ aliquid è carnibus tuis, & ossibus inueniant quod postea vnguentis odoratissimis perfundant, &c.* Tuæ autem coniecturæ adhuc quærimus exemplum.

Si loco suffituum aut odoramentorum dixisses vasa interdum aquam lustralem continuisse, rem acu tetigisses: iuxtà enim ordinem antiquorum ritualium eam in monumentis apponendam esse cautum erat. Talia sunt vasa quæ aliquando in muris, vel in tumulis vacua reperiuntur, sine vllo sanguinis colore, sed reliquijs præpositi illa, vt Chri-

Christianorum, non vt Sanctorum argumenta considerant.

Non itâ est de illis vasis, quæ aut sanguine viuo, aut coagulato ditantur, quorum pleraque siue vitrea, siue figulina videntur insculpta in palmæ figuram, aut cum inscriptione SAN. id est, Sanguis, aut cum numero suprascripto Martyrum, quorũ sacer cruor diligenter in illis asseruatur. Multa illorum se adinuenisse testatur Bosius, qui etiam fidem facit se aliquando in illis vasis puluerem contentum aqua temperasse, & protinus sanguinis colorem comprobauisse naturalem. Roma subter. l. 3. c. 23.

Sed ne dicas colorem rubrum potuisse etiam referre aromata, recordare, quæso, quod tibi notus Leipnitz vir peritissimus eodem tempore, quo Romæ degebas, arte chymica, vt omne dubium tolleret, sublimasse materiam istis vasis adhærentem, & experimento facto comprobasse in illis sanguinem animalis contineri. Cum domesticos, & exteros, Catholicos, & hæreticos hac de re testes habeamus, nullus est am-

bigendi de sanguinis realitate in ipsis vasculis contenti locus.

Quæ mihi ostensa sunt, solaribus radijs exposita ita sanguine rubescunt, vt iam iam e venis effusum crederes, & ebullientem putares. Procul dubio citrà miraculum hunc colorem viuum retinere à tot seculis nequiuerunt. Vides quantam adhibent diligentiam reliquiarum assertores, ne in errorem subrepant. Non ea minore vtebantur olim Martyrum contemporanei, qui vt nobis certissima relinquerent testimonia, spongijs sanguinem trahebant, illumque in vasis exprimebant, linteamina in amphitheatra immittebant, vt ea sanguine purpurata nobis conseruarent, immò carnificum vestes, quæ Sanctorum Martyrum sanguine infusæ erant, multo auro, & gemmis, pretiosisque ornamentis comparabant.

Si aliquod dubium ea super re patiaris adhuc, hoc accipe miraculum tempore Pij V. perpetratum, quo penitus libereris. Beatus Pius V. in medio fori Basilicæ S. Petri occurrens legato

Stella Abbas Risposta alla censura di P.P. En-

gato Sarmatarum Regis, ab illo suppliciter fuit rogatus, vt sibi daret reliquias, quas Regi suo pollicitus fuerat. His auditis B. Pontifex è lectica descendit, strophiolum suum expandit, illudque terra illa, quam martyrio illic coronatorum sanguine purpuratã censebat, implet, quod legato præbet dicens: Hæ sunt Sanctorum Reliquiæ. Summa deuotione illas excipit legatus, qui in palatium suum reuersus, strophiolum explicat, & sanguine viuo plenum reperit. Dic quæso, Eusebi, terra quorumcumque pedibus conculcata in sanguinem mutatur, quomodo vasa, quę ex antiqua traditione scimus ad Martyrum sanguinem conseruandum adhibita fuisse, aliud à sanguine testari possunt?

schenio, e Papebrochio sopra il Mart. Bresciano c. 10.

V I.

Transis postea ad secundi generis tumulos, qui humatorum nomina & inscriptiones habent, & dicis eos maioris videri auctoritatis, immò certæ, si Martyris titulum præferant, secus si hoc

titulo destituantur. In hac cauda adhuc latet venenum, Eusebi; quia pro tumulis, vbi adsunt nomina,& inscriptiones eædem afferuntur diligentiæ adhiberi solitæ pro illis, qui inscriptione carent. Epigraphe inuenta reuoluitur lapis,si desit palma,aut sanguis, vel instrumētum martyrij cum aliquo vulneris vestigio inflicti nō asseritur pro sancto,saltem quando non detegiturSancti, aut Martyris titulus.Vndè nō declarantur Sancti, aut Martyres propter inscriptionem, sed propter signa, quæ in sarcophago deteguntur. Non vt plebeij secundum sepulcrorum faciem iudicant Sacris Reliquijs Prælati,sed quatenus Deum, qui solus scrutatur corda & renes, imitari possunt, de internis tumulorum secretis sententiam ferunt. Tali præmisso examine probata sunt corpora S. Vrsini in Cappella domestica ædis Abbatialis Sancti Martini apud Pontisaram depositi: S. Attiani, cuius sacras exuuias obtinuerunt PP.Theatini Parisienses; S. Iuliæ quam iure merito vulgarunt Martyrem Augustiniani
Tho-


Tholosates, etiam te auctore, qui pagina 225. itineris Italici vltro fateris eius corpus repertum fuisse in Cęmeterio S.Callisti cum corpore alicuius Martyris, cuius martyrium, vt inficiari noluisti, attestabatur vas vitreum. Si de illa Sancta id asseras, de alijs duobus, quos reprobas, idem censendum sit, necesse est. Sine enim probationibus certis ab Eminentissimo Cardinale Vicario, vel ab Illustrissimo Sacrista non donantur Reliquiæ. Ideo ab alijs inquisitionibus abstinui, vt SS. Vrsinum, & Attiannm vindicarem. Tua eruditio pariter poterat abstinere à suo contorquendo ingenio, vt tres errores in S. Iuliæ epigraphe computaret, qui tamen nulli essent, si ad limam expenderentur.

Primò hæ duæ maiusculæ initiales D. M. apud Christianos à Paganorum ritibus abhorrentes, & præter quos nullus secundùm te in catacumbis sepultus est, rectiùs Deum Maximum, quam Deos Manes significant.

Idque confirmo exemplo alterius epigraphes in Cæmeterio Priscillæ in

noua via Salaria repertæ, vbi eædem Maiuſculæ inſcribuntur è regione habentes Chriſti monogramma, & Columbam in roſtro ramum oliuæ tenentem, & in latere epitaphij vaſculum repertum, ſic habet.

Roma subter. l. 3. ca. 61. pag. 512.



U

Hæc autem Chriſtiani ſigna, monogramma ſcilicet, Columba, & Vas nullam aliam interpretationem patiuntur, quam Deo Maximo Sacrum, & Deos Manes prorſus excludunt. Quod ſi in Cęſonii epitaphio D. M. pro Deo Maximo ponitur, eodem iure in S.Iuliæ epigraphe eædem litteræ iuxtà eandem inter-

interpretationem ſumendæ ſunt.

Secundò Iulia, vt initio huius num. de omnibus inſinuaui, non ex epitaphio Martyr declaratur, ſed ex vaſe cruentato.

Tertiò quamuis epitaphium illud.

D. M.

IVLIA . EVODIA . FILIA . FECIT
CASTÆ. MATRI. ET . BENENERENTI
QVÆ. VIXIT. ANNIS.LXX.

Fuerit factum Caſtæ: non abs re reliquiarum diſpenſatores in vna vrnã reperientes duo corpora & vaſculum cum ſanguine, & feminæ corpus eſſe dignoſcentes, illud quod Auguſtinianis Tholoſanis donatum eſt, pro facultate, qua gaudent, anonymis Martyribus hoc vel illud nomen indere, Iuliæ nomen ex proxima inſcriptione, vtpotè obuium, & auribus familiarè indiderunt, abſque confuſionis periculo; in illa enim epigraphe externa, non Iuliæ corpus contineri, ſed Caſtæ

Matris indicabatur. Illis prætereà occurritur difficultatibus tibi ſubſcribendo, ſcilicet, multas Paganorum inſcriptiones ex proprijs locis fuiſſe reuulſas à Chriſtianis ad loculos ſuorum recludendos, ſed à periculo falſi cultus ſaluamur vaſculo ſanguinis cum corpore Iuliæ reperto, licèt admitteremus illud epitaphium eſſe vnum ex illis ſepulcralibus Gentilium, quo vſi fuiſſent fideles ad condendum Iuliæ corpus. Et quidem vix poſſibile fuiſſet vnicuiqueMartyrum ſuùm aptare lapidem, maximè ſub Diocletiano, qui vt refert liber Romanus, 17. millia Martyrum vno menſe trucidari iuſſit. Quamuis omnes Chriſtianos inCatacumbis incluſos ſupponeres fuiſſe ſculptores,vix potuiſſent ſingulis Martyribus inſcribere tumulum, illo anguſtiarum tempore quo ſibi ne victum quidem comparare poterant. In illis igitur contra religionem non peccatur.

Si verò reprehendendum putes, quod Sancti alijs nominibus, vt aiunt baptizentur; arguas igitur Sanctum Mel-

Melchiadem Papam, & Martyrem, qui per Adonem, & Venerabilem Bedam ſtatuit, vt anniuerſarius dies IV. Coronatorum recoleretur, quamuis eorum nomina minimè nota eſſent, & intercurrentibus poſt hac annis Sancto cuidam viro reuelata fuerint. Corrigas pariter quotquot fuere Pontifices à IV. ſæculo, qui iuſſerunt ſocium Sancti Felicis ſub nomine Adaucti quotannis ſolemniter honorari, licet eius nomen ſoli Deo adhuc notum ſit.

Quod ſi Coronatos, & Adauctum dicas eſſe nomina non propria, ſed epitheta, idem planè fit à diſpenſatoribus reliquiarum, quia ſingula nomina, quæ communicantur, vel quibus, vt vulgo loquamur, corpora Sanctorum anonymorum baptizantur, ſunt etiam epitheta, vt quiſque videre poteſt in hac ſerie, quæ typis edita ab eiſdem ſuperioribus diſpenſatur artificibus orbiculorum, quos fragmentis reliquiarum inſigniunt.

S. Albani Mart.

S. Au-

S. Aureliæ Mart.
S. Benedictæ Mart.
S. Benigni Mart.
S. Bonifacij Mart.
S. Blandæ Mart.
S. Candidæ Mart.
S. Cælestinæ Mart.
S. Claræ Mart.
S. Clementiæ Mart.
S. Columbæ Mart.
S. Christinæ Mart.
S. Constantiæ Mart.
S. Crescentiæ Mart.
S. Deodatæ Mart.
S. Desiderij Mart.
S. Donati Mart.
S. Diodori Mart.
S. Faustinæ Mart.
S. Fortunatæ Mart.
S. Felicis Mart.
S. Felicissimæ Mart.
S. Honesti Mart.
S. Illuminatæ Mart.
S. Innocentiæ Mart.
S. Iucundæ Mart.
S. Iucundinæ Mart.

S. Iu-

S. Iusti Mart.
S. Iustinæ Mart.
S. Liberatæ Mart.
S. Lucidæ Mart.
S. Magni Mart.
S. Maximæ Mart.
S. Modestæ Mart.
S. Pacificæ Mart.
S. Pij Mart.
S. Placidæ mart.
S. Prosperi Mart.
S. Reparatæ Mart.
S. Seueræ Mart.
S. Seuerinæ Mart.
S. Secundæ Mart.
S. Theodoræ Mart.
S. Victoriæ Mart.
S. Vincentij Mart.

Verum est extra huiusmodi seriem nomina tribui, vel ex inscriptione exteriùs posita, quæ possit Sanctis competere, vel ex alia occasione iuxta petentis votum, sed sic adhuc euitatur confusio Sanctorum synonimorum ea ratione, qua inter Alexandros, Athanasios, Basilios,

filios, Theodoros, quos plures inter Sanctos inscribi in indice Martyrologij nemo potest inficiari. Non decet autem hominem rationis compotem audito, vel lecto vno Sancti alicuius nomine existimare esse illum, qui fama notissimus est, vel qui apud aliquos maiori veneratione colitur. *Ex his nemo non videt* nullo fundamento te dixisse *grauiter in huiusmodi rebus contra religionem peccari, dum Sancti Martyres asseruntur, quos Christianos fuisse vix, ac ne vix quidem demonstrari potest.*

VII.

Postquam Romanos Præsules erroris contra religionem accusasti, occasione trium Sanctorum Roma ad vectorum in Galliam, Tolentinates eiusdem peccati insimulas, eo quod *Caterium sibi olim Patronum adsciuerint, tanquam Sanctum & Martyrem, quem Baronius Martyrologio Romano ascribere noluit (vt ais) lecto eius epitaphio, quod Caterium Christianum quidem fuisse probat, San-*

ctum, aut Martyrem fuisse non probat. Vnicum est tuæ accusationis caput, ad cuius dilutionem ad Tolentinates te remittere possem, per ly *ipsi viderint*, solùm enim Sanctos è Catacumbis sublatos vindicare proposui: sed ne inde litis tuæ victoriam existimes, duo ad accusationem tuam replico.

Primò dico Tolentinates non sine fundamento sibi in tutelarem elegisse S. Cateruium, atteſtante antiquiſſimo epigrammate ad parietes templi Cateruiani exarato, Euangelium ab ipso Cateruio fuisse Tolentinatibus annunciatum.

Sacra Tolentinum docuit te lingua Cerui,
Et verum oſtendit, quem ſequerere Deum.
Hoc tibi præ cunctis decus eſt, & gloria terris
Dicaris Chriſti prima ſubiiſſe iugum.
Sed caue degeneres, iterum que ad falſa traharis
Numina, tartareis aut capiare dolis.

Ideo

Ideò extruxerunt prisco suo tutelari nobile templum cum cęnobio inuidiosis opibus locupletato, quod primùm Benedictinorum erat, sed in vsum Canonicorum Lateranensium transijt sub Iulio II. Hoc autem non attentassent, nisi de Cateruij sancti tate fuissent moraliter certi Tolentinatum Episcopi, penès quos, sicut & cęteros Ordinarios erat ad XII. vsque sæculum de Sanctis decernere, & patronos eligere. Nec credi potest inscio Papa tot adeo famosa ædificia in honorem S. Cateruij prope muros Romæ, vt ita loquar, fuisse constructa.

Hæc tria, nempe, templum, cęnobium, & epigramma Cateruij Sanctitatem testantia, omnibus præualent archiuiorum monumentis. Vnde non satis mirari possum, quo pacto Sanctum tot in signibus celebrem è numero Sanctorum deleri volueris. Aliter iudicauit Vrbanus VIII. die 13. Martij 1625. qui cultum Sanctorum ab Ecclesia non approbatorum prohibens, hac moderatione vtitur, vt declaret, quod *supra-*

dicta

dicta præiudicare in aliquibus non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consuetudinem, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel ordinarij locorum coluntur. Quæ omnia in S.Cateruij casu adaptari rectissimè possunt, præsertim post declarationem eiusdem Summi Pontificis, qui rogatus, quid per longissimum tempus, & immemorabilem cursum esset intelligendum 5. Sept. anni 1634. respondit: *Longissimum tempus, illumque immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto, intelligi declaramus tempus centum annorum.* At quot fluxerunt sæcula, ex quibus S. Cateruius honoratur tolerantia Sedis Apostolicæ, & scientia ordinariorum Tolentinatum?

Secundò probare ne posses, quod Baronius fuerit rogatus, vt S.Cateruium Martyrologio Romano ascriberet ante eiusdem editionem? nam ex pura omissione alicuius in Romano Martyrologio

gio perperam infertur illum non esse Sanctum, vt ipsemet deducit Baronius triplici ratione. Prima est, vt dicit
Præcap. in notas Martyrol. c. 8. S. Gregorius: *ipsi SS. Martyres Deo nu-*
Hom. 27. in Euang. *merabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quotquot sunt, à nobis comprehendi non possunt; nouit enim eos tantum*
Psal. 147. *ille, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Secunda est, quod ex instituto antiqui ritus Ecclesiæ breuitati sit studendum. At in quamnam prolixitatem extenderetur Martyrologium Romanum, si vt quidam computare conati sunt Martyres vndecies decies centenos mille, triginta millia singulis diebus legenda traderentur, non annumeratis Confessoribus, Virginibus, & Viduis? Tertia denique, quod non intenderit Ecclesia Romana nouum edere Martyrologium, sed vetus ex veteribus exemplaribus restituere. Quapropter subiungit idem Baronius: *Nec est propterea quod quis miretur, si in eodem ipso, de quo agimus Martyrologio Romano, clarissimos illos Martyres videat illos prætermissos, quos nostro secu-*

ſeculo ob tuendam, propagandamque fidem pęnas atrociſsimas, ſi qui olim Martyres in Anglia potiſsimum, atque in Gallijs, ab hęreticis paſſos, & in Cælum (vt par eſt credere) inter alios Martyres ęquali ſcimus triumphi gloria coaptatos, nec inſuper illos inueniat recenſitos, qui velut tonitrui filij in ſimilitudinem fulguris coruſcantis nouo orbi Euangelico lumine illuxerunt, ac fidei cauſa martyrium ſubiere. Vndè ſi Baronius recentes Martyres accenſere Martyrologio negauerit, non eſt quod miremur, ſi antiquos in eodẽ de nouo inſcribere recuſauerit Martyres, quorum acta corruptione non carent, qualia eſſe dicit idem Baronius acta Cateruij, quæ vidit, aſſerens ipſum Cateruium vixiſſe ſub Imperio Gratiani, cuius legitur reſcriptum ad Cateruium ſacrarum largitionem Comitem, in Codice Theodoſiano; ſed hæc epocha non conuenit cum epigrammate ſupra relato, nec cum Tolentinatnm traditione, & facilè fuit Baronio propter identitatem nominis vnum pro alio vſurpare: quanquam ſufficienter Cateruij Sanctitatem

Tom. 4. Ann. ad an. 379.

astruat, illum virum pietate insignem prædicans.

Multa de eiusdem epitaphio dicenda occurrerent, sed breuiter moneo I. non esse tecum in prima linea legendum.

ELIO VL. CATERVIVS V. C.

Tomo 2. Italiæ Sacræ de Epis. Tolentinis.

Sed vt accepit Vghellus à Matthæo Sauio patriæ scientiæ peritissimo.

Fli. Vl. Cateruius V. C.
Ex Præf. Prætorio
Qui vixit cum Septimia
Seuerina C. F. Caij filia
Dulcissima Coniuge annis xvj.
Minus D. xiij.
Quieuit in pace annorum lvj.
Dierum xviij. xvj. *Kal Nob.*
Depositus est iiij. *Kal. Dec.*

Septi-

Septimia Seuerina C. F.
Marito Dulcissimo sibi Sarcophagum
Et Panteum cum Tricoro
disposuit & perfecit
A ☧ Ω.

Quod idem sonat, ac Tlisius Vlpius Caterùius vir clarissimus. In hoc errat Ferrarius, qui, iuxta te inscriptionem S. Caterùij corruptè refert, quod illum sextò consulem Vrbis ex epitaphio contendat asserere, & ideò neget acta S. Caterùij à se descripta, non esse illius Caterùij, cuius inscriptio legitur Tolentini in Templo San Cateruiano, quia in illis mentio non fit de Septimia eius coniuge dulcissima. Debebat recordari ipsemet Ferrarius suæ narrationis de miraculo S. Caterùij, quo è mortuis ad viuos reduxit suam coniugem. De Septimia igitur fit mentio in actis Caterùij, licet non sub nomine expresso.

Catal. SS. Italic 10. Decemb.

Secundò moneo me non percipere quomodo acta Cateruij emendari possint ex epitaphio, vt in itinere Italico suggeris; quia quamuis ibi narretur S. Cateruium quieuisse in pace annorum LVI. dierum XVIII. tacetur tamen sæculum, & consulatus, quo ad Deum migrauit, & si illo non demonstretur absolutè eiusdem sanctitas, saltem nec negatur.

VIII.

Pace tua, optime Eusebi, in perissologiam videris incidisse num. V. his verbis; *Verum & si pro Sanctis indubitanter habendi essent, non continuò publici illis honores decernendi essent, & in exemplum vniuersis fidelibus proponendi, nisi id martyrio certo consecuti essent.* Nam Martyrium illorum sufficienter probatum est num. III IV. & V., vbi de palmis, & vasis disserui; & publici honores, quos illis tribuunt quidam, ab Ecclesia Romana reprobantur: nec minores illis reddi possuut, quàm vt fidelium venerationi exponantur.

Per-

Pergis: *Quis verò de Sanctis illis incognitis hoc afferat? si de vita eorum, vel martyrio queritur, silet antiquitas. si maiorum de illis testimonium, nullum est.*

Quæro à te, Eusebi, quis in eorum sarcophagis apposuit palmas, aut vasa cruore tincta? Nonne antiquitas? Nonne maiores? Illa autem signa nonne æquipollent verbis, vt de illorum martyrio fidem faciant? *Si facta, & actiones; nullę, perindè, ac si numquam illi extiterint.* Verò in te argumentum: si facta, & actiones SS. Georgij, Christophori, Placidi, Margaritæ, Vrsulæ &c. quærantur, nullæ perinde, ac si numquam extiterint, si quidem eorum actis, vt potè corruptis, perinde, ac si nunquam fuissent, possumus denegare fidem. Illos tamen publicis Officijs honorari non contradicis, nec igitur Sanctorum à Prælatis Romanis recognitorum venerationi illi modicæ obsistas? *Si vel nomen plerorumque penitus ignorantur.* Nomina etiam SS. Innocentium, XL. Martyrum sub Licinio, Militum legionis Thebæorum, Sociorum

S.Placidi, & Vrſulæ commartyrum penitus ignorantur, non ideo tamen abſtinet Eccleſia ab illorum feſtis quolibet anno celebrandis, nec igitur curandum eſt, ſi nomina Sanctorum Roma aduectorum neſciantur.

Quod ſi dicas ſufficere nomen vnius ex numero diſtinctum, ac certum, vt Vrſulæ cum ſociabus, Placidi cum Socijs, Mauritij cum Socijs: da vnum nomen in celebrando feſto quadraginta Martyrum, & alias turmas Martyrum per numerum magnum indicatorum in Martyrologio, immo abſque numero, vt in feſto Sanctorum Innocentium. Neque alia ratio eſt plures ſimul celebrandi, alia vnum ſi ergò abſque nomine plures conſueuit Eccleſia, quos aliunde nouit eſſe Martyres venerari, idipſum de vno, vel vna Martyre licebit, ſi eadem Eccleſia permittat.

Si nomina, facta & actiones tot Martyrum adhuc quærantur, hoc tribuendum eſſe cenſeo, aut perſecutionum immanitati, aut temporum iniuriæ. Perſecutionum quidem immanitati, quæ

tot

tot ſimul metebat, ac rapiebat Chriſti Martyres, vt non valuerit vigilantia ſeptem notariorum à Sancto Clemente ſuper actis Martyrum notandis Romæ inſtitutorum, facta omnia deſcribere, nec id ſupplere potuerit diligentia ſeptem Subdiaconorum à S. Fabiano ſeptem Notarijs præfectorum, vt geſta celeriter, & compendiosè excepta, litteris integris abſoluerent. Temporum autem iniuriæ, quia nemo neſcit acta Sanctorum Martyrum fuiſſe diligentiſſimo ſtudio perquiſita, & Diocletiani ſtudio igni tradita. Nec gratis dicam, plerorumque Sanctorum, de quibus eſt quæſtio, acta ſic perijſſe. Erat enim ea Tyrannorum rabies, vt omnem Martyrum memoriam delere voluerit cum nomine Chriſtiano. Mortis erat ſufficiēs cauſa, martyrum acta inquirere, & ideò S. Anterus Papa Martyrio coronatus eſt, quia vt narrat Euſebius in Chronico, *geſta Martyrum diligenter à Notarijs* (ideſt publicis exceptoribus, ſeu grapharijs, vt ſcirentur quæ intra cancellos obducto velo à iudicibus Marty-

res interrogati dicerent) *inquisisset, & in Ecclesia recondidisset*. *Quid ergo*, pergis, *ædificationis ex illis elici poteст, vt in exemplum, & cultum toti Ecclesiæ proponantur*? Respondeo id ædificationis, quæ elicitur ex cultu multorum Martyrum in diuersis celeberrimis Monasterijs à Northmannis occisorum, quorum ne nominum quidem remanet memoria. De vitis SS. Ouidij, Felicissimi, & Victoris aptiùs in appendice aliquid dicam.

I X.

Nouam litem intentas cum ais num. VI. *Non satis est illos esse Martyres: Vindicatos quærimus, id est, agnitos ab Ecclesia Martyres ac probatos*. Cum ab Episcopis vindicari debeant reliquiæ, certè Sancti Martyres, qui Romanis è Cœmeterijs transferuntur à Card. Vicario, & Sacrarij Apost. Præfecto, & Episcopo post seuerum examen probantur. Hinc nullo modo culpandi sunt fideles Sacras Reliquias ab illis sagacissimis vindicatoribus probatas venerantes. Non

sic

ſic erat de Lucilla, quam commemoras prædiuite matrona, quæ à Ceciliano Carthaginenſi tunc archidiacono correpta eſt, quod ante ſpiritalem Sacræ Euchariſtiæ potum, os, neſcio cuius Martyris nondum vindicati libaret, & propterea in eum odio percita fouit Donatiſtarum ſchiſma, Cecilianumque, vt ab Epiſcopatu Carthaginenſi, quo poſt mortem Menſurij ſublimatus eſt, deturbaret, omnem mouit lapidem.

Specioſa videntur, quæ refers laudans S.Martini Turonenſis diligentiam, qua latronis ob ſcelera ſua percuſſi, & quem vulgus pro Martyre colebat, aram ſubuertit. Sed ſi integram Seueri Sulpitij narrationem texuiſſes, Romanos Antiſtites rudi vulgo non comparaſſes. En vt loquitur: *Erat haud longè ab oppido proximus monaſterio locus, quem* In vita S. Martini. *falſa hominum opinio velut conſepultis ibi martyribus conſecrauerat, nam, & altare ibi à Superioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur. Sed Martinus non temerè adhibens, incertis fidem, ab his, qui*

qui maiores natu erant Presbyteris, vel Clericis flagitabat sibi nomen Martyris, & tempora passionis ostendi grandi scrupulo se permoueri, quod nihil constans sibi martyrum memoria tradidisset. Cum aliquădiu à loco illo se abstinuisset nec derogăs religioni, quia incertus erat, nec auctoritatĕ suam Vulgo accomodans, ne superstitio conualesceret, quadă die paucis secum adhibitis fratribus ad locŭ pergit. Deinde super sepulcrŭ ipsum adstans, orauit ad Dominum, vt quis esset, vel cuius meriti sepultus, ostenderet. tum conuersus ad lauam vidit prope assistere vmbram sordidam, & trucem. Imperat nomen meritumque, vt loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum,

Vulgi errore celebratum

sibi nihil cum martyribus esse commune, cŭ illos gloria, se pena retineret. Quis non videt cultum illi latroni exhibitum incæpisse à vulgo se accomodare cui nolens Săctus Præsul, nihil omisit, vt originem, & finem huius venerationis detegeret, & detexit propria damnati confessione

se

ſe fuiſſe vulgi errore celebratum . Scrupulum omnem depoſuiſſet S. Martinus, ſi corpus Romæ confirmatum , ac vindicatum litteris teſtimonialibus ad id à Summo Pontifice deputatorum ſciuiſſet illic honorari.

Sed altare ibi à Superioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur . Quid tum ? Nonne Epiſcopi aliquando ex culpabili ſocordia , & nimis incauta credulitate importunis vulgi precibus tribuunt, quod ſi ex paſtorali vigilantia ſedulò expenderent , nullatenus concederent ? Sic conſtitutum fuiſſe altare ipſius latronis cenſendum eſt . His poſitis dic , Euſebi, amabo te , quicquam ne iſtorum adaptari poteſt reliquijs , quæ è Catacumbis Romanis eruuntur ? Illarum ne diſpenſatio , illarumne apptobatio vulgo relinquitur ? Non eſt igitur ratio propter quam monueris : *Hæc cautela ſi erga Sanctos illos* incognitos *adhibebitur , non tam facilè in publicum fidelium cultum deinceps exponendi erunt* . Laudanda eſt , fateor , S.Martini in hoc facto vigilantia , ſed non minus laudanda eſt Prælatorum

torum Romanorum, immo, & Summorum Pontificum in Sacris Sanctorum exuuijs comprobandis sedula perquisitio. Si de eis à me exempla postulabis, egregium præstabit Alexander III., qui recepta Arnulphi Lexouiensis epistola,
Epit. to. 2 ad ann. 1181. cuius summarium legitur apud Spondanum, ità efficaciter obuiauit pseudomartyrum cultui, vt exinde Sanctorum canonizatio Pontifici maximo fuerit reseruata hoc decreto, quòd habetur extra, cap. audiuimus, de reliquijs, & veneratione Sanctorum: *Audiuimus quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur, cum vix pro talibus in ebrietate peremptis Ecclesia permittat orare; dicit*
Cor. 6. *enim Apostolus: Ebriosi Regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non præsumatis de cętero colere, cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret, vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Ecclesię Romanę venerari.* Non dedigneris, etiam rogo,
De Canoniz. SS. c. 82. ad Felicem Contelorium recurrere. Apud eum de succedentium Pontificum

cum diligentia circa cultum Sanctorum adhibita certior fies, per duas Epistolas Vrbani V. apud Montefiasconem anno Pontificatus sui sexto scriptas. Harum prima Archiepiscopo Rauennatensi, eiusque suffraganeis præcipit, vt quosdam sui districtus coerceat Iacobum quondam, & Francischinum ictu fulminis percussum, in plateis, & in eorum Ecclesijs, vt Beatos prædicantes, ac altaria sub eorum inuocatione erigentes. Altera vniuersis fratribus Episcopis per Ducatum Britanniæ constitutis vetat, ne Carolus de Blesio tanquam Martyr, & Sanctus coleretur. Ibidem legere poteris decretum Vrbani VIII. num. 7. laudatum.

Florebat. an. 1361.

Non magis tibi fauet quod narrare pergis de Gregorio Lingonensi, qui corpus S. Benigni pro Sancto admittere negauit, donec historiam passionis eius ex Italia recepit. Immo telum in te vertis, ex hoc enim capite infertur, quanti æstimauerint olim Galliarum Præsules Romanæ Ecclesiæ sententiam, qui nihil temerè aggressi sunt circa

San-

Sanctorum assertionem, nisi prius consulta, & habita S.Sedis Apostolicæ sententia, cui citò, & humiliter absque tergiuersationibus adhæserunt. Vtinam illos fuisses imitatus, & non in similes exclamationes prorupisses. *Ah bone Deus! Quanta olim Romanę Ecclesię in his cauthela erat! quę, teste Gelasio, gesta Sanctorum Martyrum, non incertorum, sed verorum, in diuinis officijs legi non patiebatur, propterea quod scriptorum namina ignota erant, & auctoritas.* Quasi verò Innocentius XII. aut alius eius præcessor ab hac antiqua cautela recessisset. Nec ideò præcisè, Eusebi, pace tua dixerim, acta Sanctorum in Ecclesia non recitabantur, quia nomina eorum ignorabantur, sed potiùs *quia ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit scripta esse putabantur*, vt ipsemet indicat Gelasius in Concilio Romano LXX. Episcoporum.

Prosequeris: *quantò magis incertorum martyrum cultum prohibuisset? Et verò prohibet etiam nunc, vt patet ex illo generali*

rali decreto iam laudato. Prohibet, fateor, Romana Ecclesia cultum illum solemnem, sed non propterea quod sit incerta de illorum martyrio, sed vt discrimen faciat Sanctorum nomine, & factis cognitorum ab ignotis. Cum sit incerta degenere supplicij, de tempore passionis, nomine, & gestis, non posset nisi lectiones de communi Martyrum assignare, quod non facilè concedit. Quænam autem lectiones propriæ de illis recitarentur, stantibus illis dubijs? Quonam modo illos depingeret? iuuenes, an senes? Quid certi de illis in pulpito enarrari posset? Duobus illis verbis clauderetur concio, nempe, quod constantiam in fide martyrio probauerint.

X.

Grauem difficultatem pateris num. VII. eruditissime Eusebi, in hoc quod non obseruentur pro Sanctis, quos vocas incognitos, tantæ litium prolixitates, quantæ in canonizandis nouis adhibe-

hiberi solent. Sed euanescit hæc difficultas perpensis rationibus, propter quas tot accurati ritus, & morosa diligentia in asserendis Sanctis, maximè Confessoribus adhibentur, quæ pro nostris Catacumbarum non militant. Pro nouis Sanctis in albo cęlitum describendis ingentes pręmittuntur hæ cautelæ, primò vt hypocrisis à vera virtute secernatur, quæ tandem temporum diuturnitate, ac inquisitionum diligentia detegitur, vt euenit in casu cuiusdam Hermanni, qui cum sanctitatis fama vitam clauserat, post viginti tamen à sua morte annos iubente Bonifacio VIII. propter hæresim, quam sub pietatis larua tegebat extumulatus fuit, & eius ossa concremata fuere. Secundò ne vilescat sanctitatis nomen pro tanto numero Sanctorum, qui foret, nisi obseruarentur illæ cautelæ pro Confessoribus. Frustra igitur putem à te collecta Gregorij IX. verba de canonizatione S. Antonij de Padua: illa enim pro Confessoribus valent, non pro Martyribus iuxta principia Guiberti Ab-

Platina in Bonif. 8. pag. 12:

ti Abbatis tam sæpe à te laudati, & hæc verba verè aurea proferentis: *Martyres planè, & si scripta conticeant, solius prerogatiua sanguinis extulit; nec quaritur in Martyribus, quę vita precesserit, cum ad vetustissimorum repurgia criminum cruor ipse satis sit. Iesu bone! Quidni, cum ad omnem gloriæ sufficientiam etiam sceleribus abolitis potis sit: pena enim ipsa, sicut ante baptismum culpas obliterat, & vices agit lauacri, ac saluationis, immo clarificationis certissimę effectrix est.* Lib. 1. de pign. SS, c. 3.

Quantum ad Concilium Francofordiense, Carolo Magno regnante habitum, quod Canone 42. statuit, *vt nulli noui Sancti colantur, nec memorię eorum per vias erigantur, sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitę merito electi sunt*, adhuc intemeratum remanet, saltem quod summum Pontificem, qui vetat cultum solemnem, quo memoriæ, seu Ecclesiæ in Sanctorum baptizatorum honorem per vias erigantur.

E *Esto*

Esto, inquis, *hi Martyres fuerint. Interest scire quam ob causam cæsi fuerint, nõ enim quosuis Martyres agnoscebat olim Ecclesia, quæ temerè in media pericula irruentes rejciebat, teste Mensurio Episcopo in Collatione Carthaginensi.* Alia hic latet æquiuocatio, Eusebi Romane; nam hæc duo toto cęlo inter se discrepant. Non agnoscebat Ecclesia in media pericula irruentes esse Martyres; & non agnoscebat esse honorandos, vt Martyres. Martyres enim distinguere oportet. Alij sunt, qui cruciãtur, & cęduntur siue à seipsis, siue ab alijs quacumque de causa. Hoc pacto rectè scribis Martyres non facere passionem, sed causam. Illi verè Martyres non sunt, sed pseudomartyres. Ideoque Donatistæ frustra vocabant Martyres ex suis, quos videbant se præcipites è rupibus deturbare, aquis se præfocare; & in eos, qui causa pia cæduntur ob Christi fidem, & hi verè Martyres sunt, sed Ecclesia aliquo tempore modum quemdam vetabat Martyrij, scilicet offerendi se sponte ad martyrium, denegando huiusmodi martyri-

bus

bus honores quosdam speciales. Hoc solummodo Mensurius Carthaginensis Episcopus reijciebat Martyres vltro se morti offerentes, vt patet ex verbis S. Augustini verborum Mensurij interpretantis sensum: *Lectum est eos, qui se offerrent persecutoribus non comprehensi, & vltra dicerent se habere scripturas, quas non traderent (conquirebant tunc Donatistæ hæretici scripturas sacras, vt eas igni traderent) à quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos.* Eodem sensu est intelligendus canon Concilij Eliberitani eodem ferme tempore sancientis, in numerum Martyrum non recipiendum, qui idola confregerit. Sic statuit Ecclesia, vt ex quorumdam fidelium indiscreto Zelo persecutio non suscitaretur in cæteros, vt euentus probauit in Perside, vbi cum Audas Episcopus, nulla postulante necessitate, templum incendisset Gentilium, Rex Isdigerdes horrendam mouit persecutionem, vt innuit Theodoritus; aut ne isti pro Christo mortis tolerandæ auidi

In breuiculo collat. cum Donat. in die 3. c. 15.

Lib. 5. hist. Eccl. cap. 18.

periculo se exponerent tormentorum acerbitate ignauiter fidei deserendæ, vt accidit Quinto, de quo fit mentio in actis S.Polycarpi, ad quæ nos in margine remittis. Vnde mirum non est, si Ecclesia Smyrnensis illum apostatam vt Martyrem non agnouerit, qui cum alijs se iudici obtulisset, & *immanes feras, & terribiles præterea cruciatus perspexisset, molli, & fracto animo attonitus obstupuit, & salute prodita manus præ ignauia dedit.*

At numquam Ecclesia absolutè negauit esse Martyres illos fideles, qui se morti obtulerunt licet nō conquisiti; Epist. 61. 166. ad Martyrium enim, vt docet S.Augustinus sufficit pœna mortis cum causa fidei, quando igitur hæc duo combinantur, verum reperitur martyrium: Immo non solum in Martyrologio recenset Ecclesia plures huiusmodi martyres insigni martyrum titulo, sed etiam honorat festis, vt Apolloniam, quæ vltro se coniecit in ignem impulsa Spiritu Sancto; Adauctum, qui Felici eunti ad martyrium sponte se adiunxit, & iani-

torem,

torem, ſeu cuſtodem lacus XL. Martyrum, qui videns vnum ex illis defeciſſe, à tyrannis non conquiſitus ſe coniecit in gelidum lacum, & in ipſa Quadrageſima cum feſta ceſſant, ſolemniter cum cęteris celebratur. Porrò duo iſti Martyres ſunt anonymi, & ſimiles noſtris baptizatis, quamquam de illis acta expreſsè loquantur, & in hoc diſcriminent ab ijs, de quibus loquimur, & idcirco ab Eccleſia non ita honorantur vt illi. Satis igitur liquet legem quam videris imponere de Martyribus vltrò ſe offerentibus non fuiſſe perpetuam in Eccleſia, quæ ſemper obſeruauit, vt iudicaret illos diuini amoris igne accenſos martyrio ſe obtuliſſe, quoties non conſtat ſine iuſta, ac rationabili cauſa vltrò ſe tormentis tradidiſſe.

Nec in hoc quicquam mutare poteſt Eccleſia, quia eſſentiæ rerum ſunt immutabiles: quamuis ex legitima cauſa poſſit ſtatuere, vt illi qui choro Martyrum candidato in cœlis ſunt adſcripti, in terris pro talibus ſolemni

cultu non honorentur. Vnde quamuis probaretur (quod est impossibile) quosdam ex Martyribus, qui è Catacumbis Romanis eruuntur, fuisse idolorum confractores, aut se vltrò morti obtulisse non conquisitos, nihil vetaret, quominus eorum reliquiæ exponerentur fidelium cultui, maximè non stantibus duabus rationibus à me nunc recẽsitis, nempè periculo persecutionis ex eorũ cultu, & periculo desertionis fidei, cum ex eorum morte probetur perseuerantia in fide palma, aut sanguine in vasis contento sigillata.

Cum itaque legimus quosdam ab Ecclesia reprobatos fuisse Martyres, qui se morti tradebant, non intelligere debemus veros Martyres, sed quos supra innuimus falsos Martyres, & hi erant Donatistæ, & Circumcelliones, vt videre est in Concilio Carthaginensi primo sub Grato cum alijs 30. Cap. 2. Episcopis statuente ne Martyres agnoscerentur Donatistæ, qui gloria Martyrum illecti, seipsos ex altiorum montium cacuminibus necabant, vel conductis

ductis sui interfectoribus sibi ipsis inferri procurabant, vt scribit Optatus Mileuitanus, flammis se donabant, aquis se prefocabant, vt tradit S. Augustinus male intelligentes illud Christi: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. De illis pseudomartyribus agebat idem S. Augustinus, cum hanc adeo tritam protulit sententiam: *multorum corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna*. Nullum autem Donatistarum in Catacumbis Romanis fuisse humatum esse certissimum euincit Seueranus à Sancto Seuerino, ex Optato, qui licet paucos eorum Romam aduenisse tradat, numquam Ecclesiam obtinuisse, nec memorias Apostolorum visitasse testatur. Immo eosdem idcirco Montanenses appellat, quia ad montes confugere, & in illis habitare coacti sunt nullam cum Catholicis habentes communionem: nullum est igitur periculum in honorandis reliquijs, quæ Romæ vindicantur.

Lib. 3. cōtra Parmē.

Tract. 51 in Ioan. sub med.

Ioan. 12.

Lib. 4. Romæ subter. c. 2.

Lib. 2. contra Parmenianum.

X I.

Vbi verò miracula ad cultum illum decernendum? Nulla certè prærequiruntur in Sanctis illis incognitis. Nec etiam requiruntur, Eusebi clarissime; scies enim melius me Eulogium Cordubensem Presbyterum, ad Infulas Toletanas destinatum, sed martyrio feliciùs honoratum in suo memoriali Sanctorum in tres libros diuiso, neruosè, ac eruditè hos tres articulos in Hispania à quibusdam vulgatos tractasse, ac refutasse: primò Martyres illos non esse qui gladio non occiduntur. Secundò illos, vt Martyres non esse colendos, qni miracula non patrant. Tertiò quorum corpora incorrupta non remanent. Nec tu ipse illud diffiteris sequentibus verbis: *Vtrumque*, inquis, scilicèt morum probitatem, & signorum virtutem, quæ à Gregorio IX. requiruntur in Sanctis Confessoribus, *supplere potest martyrium si passio Martyrũ sit comperta, & approbata causa.* Præclara sanè confessio, quæ omni præualeret auctoritate, nisi subiungeres:

res:

res: *Hæc desunt Sanctis illis incognitis*: Mihi verò sufficit, vt Prælatis à Papa deputatis sit comperta Martyrum passio, & approbata causa, sicque semper abstinebo à similibus sententijs proferendis: *hæc desunt Sanctis illis incognitis*.

Et quoniam simulas te nescire, qua certitudine sit comperta Sanctorum ignotorum passio, & approbata causa, audi, rogo, me tamquam discipulum magister explicantem istud, quod tu ipse nosti, scilicet, quod eadem certitudine, qua scimus Eucharistiam, quam quotidie adoramus esse adorandam, certa sit Sanctorum, de quibus agitur, passio, & approbata causa, nempe certitudine morali. Quamquam enim de fide sit Sacram Eucharistiam esse adorandam cultu latriæ absoluto, fides tamen non docet, quod hæc hostia in indiuiduo sit adoranda; quia potest non esse consecrata, vel ex defectu characteris Sacerdotalis in illo, qui illam consecrare visus est, vel ex defectu intentionis ad consecrationem requisitæ vel ex defectu substantiali materiæ,

aut

aut formæ. Attamen quoties videmus hostiam adorationi expositam,quæ consecrata putatur ab eo, qui Sacerdos habetur, & se vt talis gerit in Sacris peragendis, grauiter offendimus illi denegantes adorationem, nisi ex speciali reuelatione eam non esse in corpus, & sanguinem Christi transsubstantiatam dignoscamus, sicut S. Eleazaro Comiti reuelatum quondam fuisse fertur: Sic pariter licet ex fide teneamus sacras reliquias esse honorandas, tamen fide non docemur has, & illas in particulari esse sacras Sanctorum exuuias; possunt enim multi superuenire suppositionis casus, nisi ex speciali reuelatione circa quasdam huiusmodi prouideatur casibus; sic quando auctoritate Apostolica nobis exhibentur reliquiæ honorandæ, cum simus certi certitudine morali illas esse veras Sanctorum reliquias, absque peccato non possumus cultum, quem Ecclesia præscribit illis esse debitum,denegare. Verùm enim verò etiam te auctore pro comperto habemus in sacris Romæ ca-

tacumbis nullos fuiſſe tumulatos gentiles, & liquet nullos etiam in illis fuiſſe depoſitos hæreticos, nullos Schiſmaticos, & inſuper conſtat in illis penè innumeros eſſe ſepultos Martyres, & à SS.PP.& comprobata experientia ſcimus palmas, & vaſa cruentata eſſe notas martyrij ſpecificas, quando igitur Antiſtites à Summo Pontifice deputati illa ſigna in ſarcophagis catacumbarum detegunt, omni morali certitudine certificamur poſſe à nobis impendi cultum, quem definit Eccleſia. Nulli autem Sanctorum, qui Roma aduehuntur cum authenticis Cardinalis Vicarij, aut Præfecti Sacrarij Apoſtolici deſunt hæc certitudinis indicia. Ex his infero: ſicut contra religionem non peccatur,, immo fit religioni obſequium, quando adoratut hoſtia, quæ certitudine morali exiſtimatur conſecrata, licet talis non ſit, nec etiam contra religionem peccatur, quando redditur cultus reliquijs, quæ quantum humanitus ſciri poteſt, eſſe cenſentur Martyrum, licet tales non ſint, immo actus religionis elicitur.

Ex

X I I.

Ex dubio de paſſione Martyrum aliam excitas queſtionem, qua videri potes percupere aliud non minus auctoritati Apoſtolicæ, & quotidiano Eccleſiæ vſui contrarium. Vt enim corrigeres eos, qui in honorem Sanctorum incognitorum miſſas, diuina officia perſoluunt, panegyricis declamationibus pulpita replent, ac Euchariſtiæ Sacramentum exponunt, in dubium vocas, an expediat nunc pro fidelium deuotione, illud in nos diuini amoris pignus oſtendere: *Certè olim, inquis in fine num.* 8. *Euchariſtia poſt conſecrationem palla tegebatur, immo etiam ante conſecrationem, vt patet ex Gregorio Epiſcopo Turonenſi, idque in vſu erat vſque ad duodecimum ſæculum quo ineunte Guibertus Abbas teſtis eſt ſtatim poſt eleuationem demitti ſacramentũ à ſacerdote ſolitũ, & operiri ſindone, quod modo corporale vocamus, vti hodie quoque ferè in vſu eſt apud Carthuſianos, nempè vt hoc ritu teſtaretur Sacerdos ſe*

L.7:c:22

De pign: SS;lib.1; c.2.

con-

conspectu tanti Sacramenti omnino indignum esse. Vndè reiectum traditur à Nicetio Lugdunensi quoddam coopertorium sarmaticum, quia rarum erat, ac tenue, quia non exindè plenè tegebatur mysterium corporis sanguinisque Dominici. Quàm longè tunc aberant à nostris moribus, qui quibusuis oculis passim diuinum illud Sacramentum exponimus. Verùm quod nunc abscondi suadebat religiosa pietas, hoc nunc exponi pia fidelium deuotio fortè exigit. Gregor. Turon. de vita Patrum c. 8.

Quid sibi volunt, Eusebi Romane, *Tà olim,* & *fortè*? An velles renouari, quæ olim obseruabantur, & in dubium vocare, quæ nunc probantur? Si primum postulabis; certè olim inualuit vsus, vt Sacrosancta Eucharistia in manus etiam laicorum daretur, quibus liberum erat eam ad proprias ædes deferre, vt fidem facit S. Cyprianus. Non solùm tempore persecutionis id seruatum est, sed etiam cum Ecclesia pace frueretur tranquillissima, vt testis est S. Basilius. Olim non licebat corpus Dominicum vasculo quantumuis pretioso excipere, sed solis manibus in crucis formam de-

Serm. de lapsis;

Ep. ad Cæsariam patriciā;

Catech; decussatis, vt scribit S.Cyrillns Ierosomystag;5; lymitanus; viris quidem nudis manibus antea mundatis; mulieribus verò in linteo mundo, quod Dominicale vocabatur, vt præcipiebat Concilium Antissidiorense. Olim Infantibus etiam lactantibus sanguis Christi sugendus præbebatur, vt tradunt omnes historici Ecclesiastici. Olim denique diuersis in regionibus Eucharistia, vel mortui donabantur, vt posteà prohibuit citatum

Can; 36;

Can; 12. Conc. Antissidiorense. Hæc tamen omnia exoleuerunt. Si igitur Sancta Mater Eclesia hos omnes vsus abrogandos esse sapienter iudicauerit; prudentissimè etiam Græcis, ac solis Carthusianis inter occidentales hostiam post consecrationem palla tegendam reliquit, medium ponens ab Vrbani IV. Pontificatu inter primorum Ecclesiæ sæculorum nimiam in corpus Christi Sacratissimum familiaritatem, & subsequentium temporum nimis seueram ab eo remotionem, quod in eo situm est, vt non solùm post consecrationē pio visui Sacerdotis aperta remaneat hostia, sed

etiam

etiam cæteris Christi Fidelibus quandoque in ostensorio reposita exponatur adoranda. Quod vt fiat maiori cum animarum lucro Pontifex Maximus solet largissimas concedere indulgentias quibuscumque augustissimum illud mysterium adorantibus. Et reuera multum ædificationis inde prouenire quotidiana docet experientia in hac alma Ciuitate totius Orbis metropoli, vbi per XL. horarum spatium sine intermissione colitur à maximo Romæ incolarum omnis conditionis, & sexus, ac peregrinorum concursu. Hac expositione fidem augeri, spem erigi, charitatem perfici, ac nobilem de hæreticis illud adorabile Sacramentum negantibus reportari triumphum, ita nunc apud omnes constat, vt consultiùs visum fuisset, si hæc verba dubium de tam laudabili Ecclesiæ praxi mouentia omissa fuissent: *Quam longè tunc aberant à nostris moribus, qui quibusuis oculis passim illud diuinum Sacramentum exponimus. Verùm, quod tunc abscondi suadebat religiosa pietas, hoc nunc exponi pia fidelium deuo-*

tio

tio fortè exigit: prohibet enim S. Augustinus de rebus iam vniuersali Ecclesiæ vsu probatis dubitantem locutionem his verbis: *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit.* Verum enim verò Christiana religio nec Pyrrhoniorum, nec Academicorum est secta, quæ aut de omnibus vel certissimis dubitabat, aut inquirebat, quin vmquam ad certitudinis scopum pertingeret.

Ep. 118.

XIII.

At miracula eiusmodi Sanctorum quanta! quot, & quanta ad eorum loculos appensa anathemata in signum miraculorum! inquis num. 8. Tecum fatemur, Eusebi multa supponi miracula à plebe inerudita, sed non ex illius culpa sanctitatem Martyrum infirmandam esse credimus. Certè vigilantissimus Dominus Cardinalis Vicarius, ac Sacra Rituum Congregatio in miraculis asserendis intenta similia appensa anathemate deponi iubent, ac imagines Sanctorum se poni,

quo-

quoties plebs rudis fingit miracula turpis lucri, aut nimiæ ſimplicitatis gratia Quamquam ſi neceſſitas poſtularet, longam ſeriem miraculorum ab Epiſcopis probatorum inſerere poſſemus.

Verum fac iſta miracula vera, & certa eſſe. Sanè hæc præceſſiſſe debuerant, quo Sancti illis pro veris ac certis haberentur, & colerentur. Tibi ſubſcriberem, Euſebi, ſi quando Prælati illos vindicarunt, paſſi fuiſſent dubium de illorum Sanctitate. In caſu dubio dubitationem tollere debet miraculum, vt euenit in inuentione Sanctæ Crucis, quæ vt diſcerneretur ab alijs duabus latronum, Macarius Ieroſolymorum Epiſcopus factis Deo precibus, ſingulas cruces cuidam feminæ graui morbo laboranti admouit, cui cum reliquæ nihil profuiſſent, adhibita tertia crux ſtatim eam ſanauit. Sed moraliter ſunt certi prudentiſſimi illi vindicatores per palmam, aut vas cruentatum, aut inſtrumentum Martyrij coniunctum cum diuiſione non naturali in corpore. Pergis, *Nec ſubſequentia miracula factum præcedens comprobant*, ſi

hęc propoſitio vniuerſaliter ſumatur, mihi videtur falſa: nam miracula poſt mortem patrata ſanctitatē vitæ præcedentis comprobant efficaciſſimè; ſed de his conuenientiùs diſſeram, cum ad textum Guiberti Abbatis ſuper hoc explicandum peruenerim.

Veniamus ad ſententiam Amulonis Archiepiſcopi Rhemenſis, quem Theodboldus Lingonenſis Epiſcopus per Ingelramnum Chorepiſcopum ſuum conſuluit, quid facto eſſet opus de quibuſdam reliquijs nuper ex Italia allatis, quia præſtigiæ patrabantur in quaſdam mulierculas, quæ voti cauſa in Diuionenſem S.Benigni Eccleſiam, vbi erant depoſitæ illæ reliquiæ, conueniebant. Cenſuit ille metropolitanus illas reliquias eſſe è Sacris adytis remouendas, & extra Eccleſiā reponendas in loco mundo, & ſecreto, & conuenticula muliercularum iſtuc interdicenda. Hoc factum, Euſebi eruditiſſime, ſi diligenter diſcutiatur, nihil contra veritatem reliquiarum Roma aduectarum euincit. Vt enim incertas, & ſuſpectas

Di-

Diuionum reliquias probares de duobus constare deberet: nimirum aut illas fuisse Roma asportatas ex dono aliorum, quam Summi Pontificis, vel ab eo deputatorum, aut illas præstigiarum fuisse principium, & non obiectum. Si enim prestigiarum fuerint dumtaxat obiectum, non ideo erant dicendæ incertæ & suspectæ; quia etiam superbi virtutibus abutuntur tamquam obiecto, vt superbiæ typho intumescant: magi scriptura sacra, ac Diuina Eucharistia abutuntur, vt sua maleficia, & incantationes operentur. Quis autem dixerit virtutes, Sacram Scripturam, & Diuinam Eucharistiam propterea esse reijciendas? Amulone igitur decernente conuenticula muliercularum in Ecclesia m S. Benigni esse interdicenda, illasque reliquias esse in loco secreto, sed mundo reponendas, signum est præstigias principium dixisse, non à reliquijs, sed à mulierculis; alias enim hac moderatione vsus non fuisset, illas iubendo in loco mundo reponi: sicque laudandus est Amulo, qui hac ratione peccati oc-

casiones amouit ab illis mulierculis, in hoc secutus vestigia Patrum Concilij Toletani primi, & Cæsaraugustani, qui scientes Priscillianistas horrendo, sacrilegio abuti Eucharistia ad magicas prçstigias non ampliùs permiserunt, vt eam ad proprios lares deferrent, vt antea in Hispania licebat, & postea etiam licuit in regionibus, vbi non erant Priscillianistæ; sed iusserunt per communionem ab omnibus in ipsa Ecclesia absumi.

XIV.

Post Amulonis exemplum profers S.Gregorium magnum, qui ab Augustino percontatus, vt sibi veras S.Sixti Martyris reliquias demandaret, ad corrigendam vulgi superstitionem in quadam Anglorum Ecclesia colentis reliquias, quæ S.Sixti Martyris esse credebantur, licet Augustinus eas pro incertis ac suspectis haberet, petitioni eius annuit his rescribens verbis: *Fecimus quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti Martyris corpus dicitur venerari (quod tuç sanctitati nec verum, nec veraciter certum videtur) certa Sanctissi-*

ctissimi, & probatissimi Martyris beneficia suscipiens, colere in certa non debeat. Mihi tamen videtur quod si corpus, quod à populo cuiusdam Martyris esse creditur, nullis miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existant, qui se à parentibus passionis eius ordinem audijsse fateantur; ità reliquiæ, quas petisti, seorsim condende sunt; vt locus in quo præfatum corpus iacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari. Sed nihil probat hæc historia contra reliquias, quæ à Prælatis Romanis authenticè confirmatæ venerationi fidelium permittuntur. Nullum sanè dubium passus fuisset S. Augustinus; nec miracula, nec testimonium postulasset antiquiorum S. Gregorius; nec Romam priuasset corpore S. Sixti Papæ, & Martyris, si corpus Sixti, qui à plebe Martyr credebatur, Roma fuisset aduectum cum authenticis. Hæ per se solas veritatem probassent reliquiarum: S. Gregorius enim in ea erat animi firmitate, vt id quod à liminibus Apostolorum de more transmittitur,

pro Martyrum reliquijs coli debeat, idque miraculis sæpe Deus confirmauit, vt refert Ioannes Diaconus in eius vita.

Lib. 1. c. 42. *Cum petentibus quibusdam Occidentalibus, per legatos in singulis pixidibus, sub nominibus petitorum Martyrum, brandeum solito more concludens, desuper sigillaret, legatis largitus est. Illi susceptas reliquias veneratione congrua deferentes postquam quædam itineris milliaria consumpserunt, stultè murmurare cœperunt, si nesciant, vtrum Sanctorum ossa, an magis carnes, à Summo Pontifice suscepissent: itaque communi consilio, Pontificali signaculo, reseratisque pixidibus particulas brandei repererunt. Mox ad vrbis mœnia furore nimio reuertentes per Archidiaconem à Gregorio se delusos fuisse, ut pro reliquijs vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur dicentes Dominos suos pulcherrimis pallijs abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non indigere. Fortè tunc Gregorius Missarum solemnia celebrabat. Quibus expletis ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit, seque cum omnibus in ora-*

tione

tione dedit, ut Deus omnipotens, utrum quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquijs Martyrum venerari deberet, quantocyus indicaret. Deinde ab oratione surgens incredulos legatos propiùs adstare fecit, cultellum petijt, more Sanctissimi Papæ Leonis brandeum pupugit, de cuius punctionibus sanguis protinus emanauit. Quò miraculo tam legati confusi, quam omnes, qui aderant tremefacti, iussu Gregorij cum eo terrę prostrati sunt. Nec ab oratione cessauerunt, quam cuncta brandeorum foramina diuinitùs clauderentur. Immo docet Idem S. Pontifex eundem cultum ipsis brandeis deberi, qui veris SS. corporibus reddendus est, ac per hæc easdem fieri virtutes, perindè, ac si corpora veraciter adessent. Illud insinuat Constantiæ Imperatrici, quæ ab ipso petierat corpus S. Pauli, aut aliquam eius partem insignem, illius in Ecclesia, quam in Palatio Constantinopolitano sub eiusdem Apostoli intercessione construebat, recondendi gratia. Narratis miraculis quæ patrata fuerant, in eos, Lib. 3. Ep. 30.

 qui

qui corpora SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Laurentij Martyris, ea vel meliorandi causa attigerant, sic ait: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sacras reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummcdo in pixide brandeum mittitur atque ad sacratissima Sanctorum corpora ponitur, quod leuatum in Ecclesia, quę est dedicanda, debita cum veneratione reconditur. Et tantę per hoc virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum corpora deferrentur, vnde contigit, vt Beatę recordationis Papæ Leonis tempore, sicut à maioribus traditum est, dum quidam Gręci de talibus reliquijs dubitarent, prędictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluit.* Ipsi tandem Constantię de limatura catenarum Sancti Pauli mittere dignatus est Sanctus Gregorius, vt deuotioni eius satisfaciens, omnem viam occluderet, ne partibus Ioannis ieiunatoris Patriarchæ Constantinopolitani, Episcopi vniuersalis titulum ambientis faueret.

Quod

Quod narrat Sigebertus de S. Leone à S. Gregorio iam laudato mirabilius eſt. Ipſe enim ne brandeum quidem reliquijs, quæ ab ipſo petebantur, admouebat, *ſed quoties rogabatur ab aliquibus, vt eis aliquorum Apoſtolorum, vel Martyrum reliquias daret, conſueuit ad corpora, vel memorias Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum reliquiæ petebantur miſſas celebrare in ipſorum honorem: & ſic brandeum altaris, quo conſecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat, cultello pannos illos pungens, ſanguinem eliciebat, ſic palam cunctis faciens, quod in conſecratione myſteriorum Chriſti, ſanguis Apoſtolorum, vel Martyrum, qui pro illo effuſus eſt, intret per diuinam virtutem in pannos illos, & ideò meritò illos dari pro reliquijs Martyrum, in quorum honore conſecrati ſunt.* In Chronico ad an. 441.

S. Hormiſdas quæ à Sanctis Leone, & Gregorio magnis brandea dicta ſunt, ſanctuaria vocabat. Iuſtiniano enim Imperatori per Germanum Capuę Epiſcopum, alioſque apud ſe legatos, de catenis Sanctorum Apoſtolorum Petri,

& Pauli, & de craticula S. Laurentij martyris, ac Sanctuaria Beatorum Apostolorum, secundùm morem, enixè petenti, nulla facta mentione de catenis, nec de craticula his respondet lineis: *Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli sanctuaria, sicut religiosissimo quæsistis affectu, per harum portitorem sub omni veneratione transmisimus; optantes orationibus eorum, vt mentis vestræ oblatio, ac desideria gratiæ sint diuinitatis accepta... data iv. Nonas Septembris Eutharico viro clarissimo Consule*, ideſt, anno 519.

Ex illis exemplis non solùm colligitur morem non fuisse primis sæculis corpora Sanctorum postulantibus concedendi, sed & quanta animi submissione pro reliquijs recipi debeat, quicquid pro illis concedunt Summi Pontifices, quorum adeo manifestis miraculis approbauit iudicium Deus omnipotens, vt in brandeis, seu velis pannorum, ad reliquias Sanctorum admotis, vel tantùm super altare eorum in missarum celebratione positis inuisibiliter sanguis inspiraretur, vt nullus ea incer-

tas,

tas, & suspectas assereret reliquias. Quantò magis igitur debemus credere illa ossa, quæ iam Romæ dispensantur, esse Sanctorum reliquias, quæ longè certioribus indicijs, & argumentis muniuntur, quàm brandea ab illis Sanctissimis Pontificibus pro reliquijs data? Infertur deinde ad vindicationem reliquiarum aliqua requiri miracula, aut testimonium aliquorum ex antiquioribus, qui à parentibus audierint passionis ordinem, quando desunt hæc certitudinis indicia, quibus vindicantur reliquiæ Romanæ, quæ cum non reperirentur in incerto martyre Sixto, sapientissimè iudicauit S. Gregorius, vt loco, in quo præfatum corpus iacebat, modis omnibus obstructo, seorsim veræ S. Sixti reliquiæ, quas miserat, conderentur. Diuino iudicio tribuendum est, quod, ne conualesceret superstitio, hæc corporis S. Sixti substitutio facta fuerit. Quis scit enim, an ille, qui ab Anglis colebatur, non fuerit latro, sicut ille, cuius aram destruxit S. Martinus, vel ebrius in seditione occisus, sicut ille,

cuius

cuius venerationi reſtitit Alexander III. vel hæreticus & hypocrita, vt Hermannus, cuius oſſa comburi iuſſit Bonifacius VIII. ſolus Deus horum eſt iudex. Ad nos enim non pertinet de his, quæ nos ſuperant, iudicare. Ex illo ſaltem Neophytorum Angliæ errore nequicquam contra reliquias probari poſſe, perſpicuum eſt, quia, vt dicit S. Hieronymus: *Paucorum culpa religioni non præiudicat.*

L. contra Vigilãt.

X V.

Num. 8. tandem claudis, ſed inefficaci argumento ſequentibus verbis comprehenſo: *Neque verò ſola miracula, etiam vera, ſufficiunt ad probandam alicuius ſanctitatem, niſi aliunde ſanctitas comperta ſit, aut ex inſigni vitæ integritate, aut ex certo & approbato martyrio. Fieri enim poſſunt vera miracula ad falſas reliquias, ob fidem, ac pietatem eorum, qui eas veras eſſe credant.* Inefficax illud argumentum eſſe dico, quia quamuis à quibuſdam malis adhuc viuentibus miracula fieri aliquando conceſſerit

rit ad confirmandam veram doctrinam, fidemque propagandam, vt de Iuda proditore fertur, & vt de multis reprobis prædixit Christus, qui in die iudicij dicturi sunt. *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus responsurus est Christus iustissimus iudex: *Numquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.* Nullas nihilominus gratias gratis datas vnquam præbuit, nec virtutes fieri permisit ad intercessionem illorum mortuorum, qui sancti non sunt. Ratio huius differentiæ est, quod potestas miraculorum, aliæque gratiæ gratis datæ ad salutem aliorum, potiùs quam ad propriam concessæ malis, dum sunt in via, à Deo interdum permittantur, vt fidem dilatent ac confirment; sed cum mali, dum sunt in termino saluti aliorum cooperari non possint, nisi indirectè nunciando viuis damnationem suam, vt illas euitent, ad pœnarum propriarum diminutionem, quemadmodum de Epulone id postulante Matth. 7.

lante

lante legitur Lucæ 16. non deceret Deum ad illorum intercessionem permittere miracula; sic enim ostenderet illos mortuos sibi esse gratos,& dignos, qui miracula obtinerent. Quod admitti nequit sine hoc absurdo,nempe,quod Deus suffragaretur falso cultui.

Hac ratione moti Eminentissimi Sacrorum Rituum Patres, ad quos spectat canonizationum examinare motiua, pro indubitatis veræ sanctitatis indicijs habent miracula post mortem patrata, quod non affirmant de miraculis in vita patratis. Illi etiam regulæ se confirmant Summi Pontifices. Falsum est igitur posse fieri miracula ad falsas reliquias, ob fidem, & pietatem eorum, qui eas esse veras existimant.

Hanc quidem sibi proposuit quęstionem Guibertus Abbas, sed non in eodem loco, quem citas, Eusebi clarissime, alium enim sensum habent eius verba, ab eo, quem illis præbes, vt facilè iudicabunt Theophili. Proposita igitur hac quæstione: *Vtrum Deus simplices quosque exaudiat, cum per eos inuocatur,*

l. 1. de pignorib. SS. in fine.

catur, quos esse sanctos non constat? sic loquitur Guibertus: *Cui respondendum est, quia sicut Deum, qui eum, de quo est incertus exposcit, irritat, ita eum, si fideliter sanctum illum credens, qui non est sanctus, exoret, placat. Verbi gratia, ponamus aliquem, qui eleemosynam putet esse peccatum. Si ergo scienter eleemosynam faciat, reuera profectò ex conscientiæ intuitu peccat, cum tamen aliorsum verè bonum sit, quod faciat. Ita planè si sanctum quis æstimet, quem quidem sanctum dici audiat, sanctum verò esse non constet, si eum præcordialiter, & secundum fidem interpellet apud Deum, qui causa & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocumque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur, & quod sub spe boni honoratur, numquam à boni remuneratione cassatur.* Hæc enim verba nullo modo de miraculis mentionem faciunt, quasi verò censuerit miracula fieri ob simplicitatem fidelium, quæ quodam modo suppleat sanctitatem eorum, quos sanctos bona fide esse credunt, licet sancti non

sint.

ſint. Sed docent ſolùm, ſimplices illos inuocantes, quos credunt eſſe ſanctos, non fruſtrari merito radicali, & intrinſeco orationis, ſicut qui putans ex conſcientia erronea dare eleemoſynam eſſe peccatum, reuera peccat eam erogans ex tali conſcientiæ intuitu, cum tamen aliorſum verè bonum ſit, quod facit. Hanc interpretationem confirmant ſe-
Ibid. quentia Abbatis verba: *Si enim recipias Prophetam in nomine Prophetæ, id eſt, qui ſolum ſine re aut iuſti, aut Prophetæ, nomen exhibeat, tu Prophetæ, aut iuſti meritum præmiumque ſortiris, quo ille iuſtus ac propheta fraudatur, qui ſolum vtriuſlibet nomen, habitumque prætendit.* Si quidem benefaciens in nomine Prophetæ, aut iuſti, illi, qui præter habitum & nomen, nihil iuſti, aut Prophetæ habet, dumtaxat eleemoſynæ meritum conſequitur, nec miraculum ab illo ficto iuſto, aut Propheta expectare poteſt. Nunquam certè Sarephtana filium
3.Reg.17. ſuum è mortuis ad vitam reuocatum merita fuiſſet, Eliam hoſpitem admittens, niſi Elias Propheta Sanctus fuiſſet,

ſet, nec Eliſæus Sunamitidis hoſpitæ ſuæ puerum pariter ſuſcitaſſet, ſi nomini Prophetæ meritum, & ſanctitate non ſociaſſet.

Non inficior tamen prædictum Abbatem alibi docere fieri poſſe miracula propter fidem credentium, & non ob meritum eius, per quem prærogatur. Sed tantæ auctoritatis non eſt Guibertus, vt illius verba tanquam oracula veneremur. Si Euangelio credere non debemus, niſi in quantum ad id nos commouet Eccleſiæ auctoritas, ſecundum S. Auguſtinum, à fortiori priuati auctoris ſententiam reijcere noſtrum eſt, cum auctoritati Eccleſiæ opponitur. At cum caput Eccleſiæ in ſanctis aſſerendis pro certiſſimo ſanctitatis argumento agnoſcat miracula ad interceſſionem mortui obtenta, non eſt mirum, ſi à Guiberti ſententia recedamus, poſt Diuum Thomam, de quo in bulla ſuæ canonizationis pronunciauit Ioannes XXII. quod tot miracula fecerit, quot ſcripſit articulos, & ideo eius doctrina à pluribus Summis Pontificibus

Lib. 3. de pignorib. verſus finem.

 ita

ita commendata fuit, vt inoffenso pede in scholis traderetur. Ad Theophilorum informationem non me pigebit purum referre textum. *Operatur Deus miracula ad hominum utilitatem dupliciter: uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem: alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicuius, quam vult Deus hominibus proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi inuocat, quod etiam per malos fit. Et secundum hunc modum etiam mali possunt miracula facere. Vnde super illud Matth.7. nonne in nomine tuo prophetauimus &c. dicit* Hieronymus, *prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non est eius meriti, qui operatur, sed inuocatio nominis Christi hoc agit, ut homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Secundo autem modo non fiunt miracula nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post mortem, siue per eos, siue per alios: legitur act. 9. quod*

2. 2. qu. 178. ar. 2. in corp.

quod Deus faciebat virtutes per manus Pauli, & etiam desuper languidos deferebantur à corpore eius sudaria, & recedebant ab eis languores. Et sic etiam nihil prohiberet per aliquem peccatorem miracula fieri ad inuocationem alicuius Sancti, quæ tamen miracula, non dicitur facere ille, sed ille ad cuius sanctitatem denunciandam hæc fierent. V. ad testium.

X V I.

Examinemus nunc an Prudentius tibi magis faueat. Ex illo concludis plerasque reliquias è catacumbis erutas carere indicijs ad sanctitatem martyrij sufficientibus. Audiat illum Poetam insignem quicumque omni præiudicio liber est Theophilus.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Vrbe Hymno 11. de S. Hyppolito.
Vidimus, ò Christo Valeriane Sacer,
Incisos tumulis titulos. Tu singula queris
Nomina? Difficile est vt replicare queam.

Tantos iuſtorum populos furor impius hauſit,
Cum coleret patrios Troia Roma Deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum iaceant congeſtis corpora aceruis,
Neſſe licet, quorum nomina nulla leges.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub vna
Relliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus.

Et mihi ſubſcribet ibi ſola tradi indicia, quæ Prudentius videre potuit, vt potè externa omnium oculis obuia, ſuper tumbas apparentia, non verò de illis, quæ in ſarcophagis videre eſt, vt de

de palmis ex parte lapidis ſaltem corpori vicina inſculptis, & de ſanguine, quæ certiſſimè ſunt ſigna martyrij euidentiora ipſo epigrammate, aut numero multitudinem corporum ſub illo contentorum indicante. Nullum eſt ſignorum à Prudentio recenſitorum, quod, ſi martyris titulum excipias, multis dubijs obnoxium non ſit ſine palma aut ſanguine, diligentiſſimè tum in tumulis cum inſcriptione, cùm ſine illa, à Prælatis ad id deputatis, inquiri ſolitis, & ſine quibus ne vnum quidem corpus, vt martyris aſſeritur, ſi ſaltem titulum martyris non habeat inſcriptum.

Præterea, notandum eſt à plurimis quædam reperta fuiſſe corpora, quorum caput ad pedes collocatum erat. Quod eſt ſignum euidens ſic caput ad pedes præter ordinem poſitum fuiſſe, quia antequam in ſarcophago conderetur, fuerat amputatum, & in ſignum martyrij ſic collocatum fuiſſe. Probabile enim non eſt fideles ſic diuiſiſſe ſpontè corpora eorum, qui morte ordinaria obijſſent. Adde etiam ad latera repe-

Roma. subter. l. 1. c. 20; & l. 3. c. 23.

riri interdum cultros aut ascias cum foraminibus, aut cum diuisione ossium non naturali, quæ signa à Prudentio non recensita sufficiunt iuxta Bosium, ad asserendam illis corporibus catacumbarum venerationem, & quibus, ausim dicere, non insigniuntur quamplurimæ in Benedictinorum Cœnobijs reliquiæ. Sed de hoc satis tecum disseruit ille, qui Gallicè tibi respondens argumenta in te retorsit.

XVII.

Florebat an. 731.

Nunc te parum Romanum noui, cum ab octingentis annis Romana cœmeteria corporibus Sanctorum indubitatorum vacua fuisse conijcis ex nescio qua Gregorij III. ad Otgarium Moguntinum epistola, in qua supponitur ille Summus Pontifex asserere cuncta Sanctorum corpora à prædecessoribus suis communiter delata fuisse, & in Ecclesijs nouiter dedicatis fuisse condita. Nam hæc epistola suppositionis multa præ se fert indicia, cum præterquam-

quod

quod non reperitur apud collectores epistolarum Pontificiarum, nec in Vaticana bibliotheca omnibus diligentijs adhibitis eam adinuenire potuerimus, ac probatissimis subsequentium Pontificum factis sit contraria.

Si ante Gregorij III. tempora cuncta Sanctorum corpora à prædecessoribus fuissent delata, vt fert epistolæ textus, quomodo potuisset Paulus I. concessa Ecclesiæ pace ad cœmeteria, quæ sub Aistulpho obsessa vrbe, maximum detrimentum à Longobardis acceperant, inuisenda intentus, ne rursus Sanctorum corpora hostili manu iniuriam aliquando pati possent, consilium inire, vt quæcumque illic obuia essent Sanctorum veneranda corpora, è sepulcris eruta, in Vrbem transferrentur? Illud tamen impleuit pietatis opus, teste Anastasio Biblioth. sic loquente: *Hic Beatissimus Pontifex cum omnibus spiritualibus suis studijs, magnam sollicitudinis curam erga Sanctorum cœmeteria indesinenter gerebat, vnde cernens plurima eorumdem Sanctorum cæmeteriorum loca negle-*

Baron. tom.9, ad an. 758.

in Paulo I.

cta, ac desidia & antiquitate maxima demolita, & alia iam ruinæ proxima, protinus eadem Sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeterijs. Quæ cum hymnis, & canticis spiritualibus intra hanc ciuitatem Romanam introducens, alia eorum per titulos, atque Diaconias, seu Monasteria, & reliquas Ecclesias condecenti studuit recondi cum honore. Eiusdem rei fidem facit eiusdem Pauli Papæ Primi ad Icontium Abbatem SS. Stephani martyris, atque Siluestri Confessoris epistola.

Baronius tom. 9. ad ad ann. 761.

Supponamus deinde citatam à te epistolam esse Gregorij III. Quid inde? Nisi quod ideo Gregorius sanctum corpus ab Otgario petitum inuenire nequiuerit, quia catacumbæ Gothis vrbem deuastantibus sub Alarico, aut Longobardis religione Ethnicis, & Arianis Italiam populantibus sub Alboino, à fidelibus Romanis ita terra oppleta fuere, vt barbaris non innotescerent, sicque ab eis contaminari non possent.

Nec dicas, Eusebi eruditissime, hæc gratis dici. Quia quæ etiam hodie repe-

periuntur cœmeteria, dignoſcuntur ex hiatibus terræ, quæ ad centrum pergens, & ſpatia, quæ penitùs non implebantur, occupans, temporum diuturnitate ita aperta eſt, vt cellulas demonſtret. Vnde ſit vt ab excauatoribus ſoleat vlterius penetrari reperto vno corpore, & viſis quibuſdam rimulis ab vno tumulo ad alium. Sic à Paulo Papa I. recognita fuiſſe quædam cœmeteria, ex quibus ſuſtulit ſacras Martyrum reliquias, quas in Vrbis Eccleſias transferri curauit, credibile eſt: niſi dicatur, quod Longobardi cœmeteria iam ingreſsi, ſperantes fore vt in illis theſauros eſſent reperturi, penetrarint loca magis vicina, vbi repertis Sanctorum corporibus, iniurioſa quæquæ commiſerunt, & poſtea Paulus I. à Longobardis aperto aditu effoſsionem proſequi iuſſerit, vbi videbatur aliquod interuallum patens.

Si hæc non arriſerint, addo verba Gregorij Tertij honeſtæ recuſationis ſpeciem referre: quia ſi reuera oratori poſtulatum concedere voluiſſet, tot in

cœ-

cœmeterijs sibi notis conseruabantur reliquiæ, quas mittere potuisset, si prædecessorum suorum reliquias petentibus recusare solitorum non secutus fuisset exemplum. Poterat ad titulum Pudentis pergere, & ibi vidisset in plano pauimento cisternæ ad instar locum cratere ferreo coopertum, vbi à S. Pudentiana fuere sepulta trium millium corpora Martyrum. Hanc legisset inscriptionem.

Romæ subter. Lib. 3. c. 23

Hoc est Cœmeterium Priscillæ, in quo existunt corpora trium millium Martyrum martyrio per Antoninum Imperatorem affectorum. Quos Sancta Pudentiana fecit in hoc suo venerabili Templo sepeliri, & proprijs manibus cum spongia colligebat sanguinem

nem ſupradictorum Martyrum, & repoſuit in puteo, qui eſt ad dextram huius Eccleſiæ, in Sacello Sancti Paſtoris.

Poterat legere in parietibus Eccleſię, quæ vicina erat S. Balbinæ ad Vrſum pileatum hanc inſcriptionem.

✠ANNO DOMINI . . . . MENSE OCTOBRIS ... DEDICATIONE̅ HVIVꝰ ECCLE SCOR MARTIR SIMPLICII FAVSTINI ET BEATRICIS AD CIMITERIVM VRSI PILEATI IVXTA FORMA̅ CLAVDII A̅N P̅O T̅A TAVRINAM QVAM PRIMVS LEO PAPA MAXIMA DEVOTIONE CV̅ INDVLGENTIA ET REMISSIONE I̅I̅I̅ ANNOR. ET XL. DIERVM. FECIT IN QVO CIMITERIO REQESCVNT QVATVOR MILIA. ET CCL VII CORPORA SANCTORVM EXCEPTIS PAVVL ET MVLIERIBVS.

Hæc duo cœmeteria ſufficiunt ad probandum Gregorium III. benigna

vſum

vſum fuiſſe recuſatione in Otgarium Moguntinum. Cœmeterium enim Priſcillæ ſemper fuit Summis Pontificibus cognitum, nec Gregorium III. latere potuit cœmeterium Vrſi pileati, quod ex Anaſtaſio celeberrimum euaſit ſub Leone II. qui cum clauum Eccleſiæ regeret anno ſalutis 683. *Fecit Eccleſiam in Vrbe Roma iuxta S.Balbinam, vbi corpora SS.Simplicij, Fauſtini, & Beatricis, & aliorum Martyrum recondidit, & ad nomen S. Pauli Apoſtoli dedicauit*, ac proinde Gregorius, qui ſuper Cathedram Sancti Petri ſedebat 48. annis poſt Leonem, optimè noſſe debebat reliquias Martyrum eſſe in illa Eccleſia adhuc recenti reconditas, ex quibus poterat, ſi voluiſſet ad Otgarium mittere, ſi ſibi placuiſſet.

Longam inſuper Cęmeteriorum ſeriem hic referre poſſem, à tempore Gregorij Papæ III. repertorum. Sed rem adeo breuitati epiſtolæ non congruentem à me non poſtulas. Satis ſuperque teſtarentur veritatem cœmeteriorum adhuc reliquijs Sanctorum refertorum, cata-

Roma ſubter. l. 3. c. 23.

catacumbæ à Bosio detectæ in Vijs Appia, & Ardeatina, præsertim illud quod in Ardeatina ita protenditur, vt vniatur cœmeterio S.Sebastiani extra muros, dilatetur omni ex parte S.Paulum versus, & Ecclesias Annunciationis, & SS.Vincentij, & Anastasij, & per singula rura intermedia, immo ad muros vsque Romæ, & sub vinetis viæ Appiæ. Romanum alloquor. Quot intersint locorum spatia, probè nouisti.

XVIII.

Vt verum fatear, eruditissime Eusepi, omnibus qui S.Argyridis legerunt in tua Epistola historiam, visa est Achilles in superabilis, & nodus Gordianus: Verùm facilè superatur, ac sine contorsione mētis dissoluitur hęc difficultas ab ijs, qui illàm attentè, & ex actè scrutantur: nam tu ipse verbis proprijs viam solutionis facilem paras sic loquens: *Haud scio an ex istis fuerit corpus illud, quod in nouo Classensi Rauennæ monasterio à se visum testatur vir fide dignissimus Daniel*

Pape-

Papebrochius. Si nescis an corpus Sanctæ Argyridis fuerit vnum ex corporibus catacumbarum, abs re igitur illo exemplo reliquias Romanas infamas.

Esto, fateamur Papebrochium anno 1660. 20. Nouembris viso epitaphio S. Argyridis, illoque latinè reddito: *Dulcissimę coniugi Argyridi Trophimus maritus annis vixit* 36. Monuisse remouendum à templo marmor, quod natum esset scandalum parere intelligentibus, & ab Archiepiscopo Rauennatense informato de iudicio Papebrochij consultam Romæ fuisse Congregationem super reliquijs tunc existentem, & responsum accepisse non solum amouendum esse lapidem, sed ipsum quoque corpus restituendum Domino Cardinali Legato, quod illud donauerat: Cum executioni mandatum non fuerit illud iudicium, inde corroboratur S. Argyridis Martyrium, & nullus est qui non conijciat Papebrochium præcipitanter, & plus æquo suæ confisum prudentiæ de illa sancta sententiam tulisse. Si enim compertum non fuisset postea illius sanctæ

ctæ Matronæ martyrium, Archiepiſcopus, qui Sacram Congregationem interpellauerat, auctoritate ſua compuliſſet Camaldulenſes, in quorum Eccleſia adeſt hoc Sacrum depoſitum, ad tollendum, & marmor, & corpus: Quinimmo legatus pro tempore tunc exiſtens eidem executioni inuigilaſſet. Parum igitur gnarus de Romanis ritibus in Sanctorum reliquijs aſſerendis cenſendus eſt Papebrochius, de Sanctis iudicans ex inſcriptione. *Executioni mandatum fuiſſe non dubitat Papebrochius Sacrę Congregationis reſponſum.* Sed vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundat, quin veritatem aſſequatur ſemper pro placito.

Deindè ſcire vellem à Papebrochio, quid ſcandali natum eſt parere illud epitaphium, quod nihil impium, nihil immodeſtum redolet.

ΓΛΥΚΙΤΑΤΗ. ☧. ΓΥΝΑΙΚΙ.
ΑΡΓΥΡΙΔΙ. ☧. ΤΡΟΦΙΜΟϹ
ΑΝΗΡ. ☧. ΕΤ. ΕΣΗ. ☧. ΛϚ.

An

An quia mulieri Ethnicæ primò fuisset positum, ac deindè à fidelibus in cryptam fuisset illatum, vt alicuius martyris loculo claudendo seruiret pro latere? Illud scandalum esset acceptum, non datum, tametsi de facto constaret. Scandalum ne existimant fideles, ex eo quod Romæ Templa Pantheon, Apollinis, Iouis, Solis, Bacchi &c. fuerint Deo consecrata? Ex vestibus feminarum pretiosis fiunt paramenta Sacerdotalia, quæ benedictione Ecclesiastica ex prophanis sacræ fiunt, cur lapis prophanus contactu Martyris sacer non euaderet? Scandalum ne esse potest, quòd nomen, quod legitur in fronte sarcophagi mulieris Ethnicæ, (si tamen ethnica supponatur, quod non constat) idem planè sanctæ tribuitur, quod tribuitur confictum, quandoquidem fieri nequit, quod sancta femina, quæ martyrium subijt, dum tumulatur, incidat in sarcophagum eiusdem nominis. At in primis hoc quidem rarum esset, ac mirabile, non tamen prorsus alienum, cum aliquando similia occurrant. Deindè

dè potuit contingere quod Sanctæ Martyris nomen obliuioni traditum, à populo vel Græculo aliquo è fronte tumuli fuerit acceptum neque Præsidentes Ecclesiæ, & periti id prohibuerint, tum quia nesciebant verum nomen; quia cũ significatio vocis Argyridis,scilicet Argenteæ,etiam feminæ illustri per martyrium redditæ congruebat iuxta illud: *Argentum igne examinatum, purgatum septuplum*. Psal. 11

Supponamus preterea corpus S.Argyridis ex templo fuisse extractum, vt conijcis ex narratione Papebrochij. Hoc argumentum nihil concluderet contra reliquias Romæ dispensari solitas, nisi prius euinceres illud corpus fuisse Cardinali Legato donatum à Cardinale Vicario, aut à Sacrarij Apostolici Præfecto, Nam non nego fieri potuisse, vt Cardinalis Legatus illud acceperit ab aliquo in materia reliquiarũ imperito,qui in aliquo predio plagæRomanæ illud ipsum reperisset, & nullo alio premisso examine pro veris reliquijs illud existimãs, ad Cardinalem Lega-

tum illud transmisisset. Non fuisset primum exemplum talis suppositionis. *Nam quidam Græci*, vt suggerit S.Gregorius, *huc ante biennium venientes nocturno silentio iuxta Ecclesiam S.Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant seruantes sibi dum recederent. Qui cum tenti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tanquam Sanctorum reliquias asportaturi.*

Lib.3.Ep. 30.ad Cō. stantiam;

Si hoc egerint Monachi Græci, alios habuerunt sui inscijs Prælatis imitatores, nec stupendum est, si interdum videantur idiotæ peregrini, qui hic, & istic congregant quicquid reperiunt, pro reliquijs illud in patriam asportaturi. Nullum tamen inde præiudicium affertur veris reliquijs, quia consultissimè obuiauit huiusmodi pijs fidelium simplicitatibus Sacrosancta Tridentina Synodus iniungens, vt nullæ reliquiæ exponantur colendæ, quin priùs illas approbauerit Ordinarius, qui facilè supposititias à veris discernet reliquias, vbi

Sess.25.

vbi viderit litteras testimoniales Cardinalis Vicarij, aut Sacrarij Apostolici Præfecti. Vbi illas non repererit, pro fraudulentis, aut saltem incertis illas iudicabit. Tales erant illæ, quas nouissimè quidam charta, gypso, & coloribus ita compaginabat, ac effingebat, vt vel peritissimos decepisset. Illas pro vindicatis non agnoscit, immo illarum compositores seueris coercet ac emendat pœnis Sancta Ecclesia Romana.

X I X.

Nihil differendum puto de inscriptionibus Vesontionum, & Ambianorum, quia iudicio prudentum, ac virorum eruditorum facile consentio: quãquàm fatendum sit tecum illis has esse longè venerabiliores, non solùm propter monogramma Christi, litteras Græcas A.Ω. ac columbas, quæ in Ambianorum reperiuntur, sed propter circumstantiam loci in quo inuentæ sunt, nempè prope altare, & corpus S. Firmini

Episcopi, & Martyris. Venerabilis enim antiquitas ab Apostolis erudita obseruauit, vt in honorem Martyrum erigerentur memoriæ seu oratoria, ac sub altare reconderentur eorum reli-
Apoc. 6. quiæ, visioni S.Ioannis Euangelistæ sese conformans: *Vidi sub Altare Dei animas interfectorum*, vnde vsus inualuit, vt nulla consecrarentur altaria absque Martyrum reliquijs: & adeo sanctis singulares erant in Ecclesia post mortem depositiones, vt pro canonizatione haberentur. Quapropter quantumlibet ipsum Constantinum Imperatorem summo honore funeratum prædicet Eusebius, nequaquam tamen Constantius eius filius ipsum tumulare in Ecclesia vmquam ausus est, sed foris, & in atrio Basilicæ Apostolorum. Quod accuratè considerans S.Chysostomus ait: *Hìc quoque* (nempè Constantinopoli) *Constantinum magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eũ in piscatoris vestibulo conderet, quodque Imperatoribus in aulis sunt ianitores: hoc in sepulcro piscatoribus sunt impe-*

Hom. 26. in 2. Ep. ad Cor.

rato-

ratores: atque illi quidem velut Domini, interiores loci partes obtinent: hi autem velut accolæ, & vicini præclarè secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.

Illum pro sepulturis vsum obseruatum etiam fuisse Romæ pro concione habuit idem Chrysostomus *Nec hoc tantùm quis Romæ fieri viderit, verum, & Constantinopoli: nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius in honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret.* Si Romæ, & Constantinopoli hic honor delatus fuerit Ecclesijs, vt in eorum atrijs, ipsi sepulti fuerint Imperatores, idem profectò pro alijs Ecclesijs religiosè seruabatur iuxta legem Theodosij magni Codici intextam: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humandis corporibus ex istimet esse concessam.* Concilium Varense. quod à multis putatur esse Nannetense anno 800. congregatum, sic citatur à Gratiano: *prohibendum est, vt in Ecclesia nullatenus sepeliatur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ. Intra*

Hom. 66. ad pop. Antioch.

C. Theod. l. 9. tit. 17. c. 6.

13. q. 2 c. præcipiendum.

Ecclesiam verò, aut prope altare, vbi corpus, & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliatur. Post tredecim annos Concilium Moguntinum hunc canonem quodammodo temperauit, decernens, *vt nullus mortuus intra Ecclesias sepeliretur, nisi Episcopi, aut Abbatis, aut fideles laici,* qui fideles, vt glossatores interpretantur, ita virtute sint præditi, vt miracula operentur. Sensim sine modo postea ad omnes se extendit sepulturæ in Ecclesijs facultas, quæ, teste Sozomeno, solis Imperatoribus, & Episcopis primùm concedebatur: *ab eo igitur tanquam ex eius rei auctore, consuetudine ducta Imperatores Chistiani ibi (in Basilica Apostolorum) sepeliuntur, atque Episcopi etiam, quippe cum dignitas Sacerdotalis Imperij dignitati par sit, immo verò in locis sacris primas partes obtinent.* Quãuis Sozomenus de suis temporibus loquens intelligendus sit de atrijs Ecclesiæ, si quidem Constantinum Imperatorem qui volebat in Ecclesia Apostolorum sepeliri teste Eusebio de vita Constantini lib. 4. cap. 60. filius Constan-

Ibi lem c. nullos.

Hist. Eccl. l. 2. c. vlt.

ſtantinus in atrio ſepelierit.

Hæc me retuliſſe, credas, Euſebi, non vt à religioſiſſimis, ac prudentiſſimis viris, quibus hæc indicia non viſa fuere ſufficientia ad aſſerendam Thoribio, & Fauſtiniano ſanctitatem, diſſentiam; ſed vt moneam, quandoque in apertura antiquorum monumentorum eſſe attendendam prope altare inhumationem.

Supponis quod ſi hæ notæ, ſcilicet, Chriſti monogramma, cum A.Ω.duabuſque hinc inde columbis, ac nomine Thoribij in Romanis Cęmeterijs fuiſſent repertæ, inſignioris S.Martyris procul dubio habitæ fuiſſent. Non ita eſt, Euſebi eruditiſſime. Plura requirunt ſapientiſſimi ſacrorum lipſanorum vindicatores, quam Chriſti monogramma ac Columbas, vt Martyres aſſerant, & illis officia deuoueant. Signa Martyres probantia à Chriſtianorum tantùm ſignis ita diſcernunt, vt à nullo ſuper hac re expoſcant documenta, immo aliorum eſt ipſorum ſeſe conformare cautelæ, & in dubijs, vt ſuggerit Concilium Tri-

dentinum sessione 25. illorum est expectare iudicium, ne in errorem facilè incidatur, aut Sanctis denegando debitam venerationem, aut non Sanctis afferendo cultum, vt sæpe euenit, quando inconsulta S. Sede Apostolica quidam hac in materia statuerunt.

Hæc sunt, eruditissime Eusebi, quæ tuæ ad Theophilum Gallum epistolæ respondēda in animum induxeram religionis integritatem illibatam, ac legitimum Sanctorum cultum pro modulo tueri cupiens. A tua charitate expecto, vt si alicubi te offensum repereris, non id vlli tribuas liuori. Hoc enim mihi vnum propositum fuit, vt pro meo in Romanam Ecclesiam zelo, ac mea in Sanctos reuerentia, argumenta tua, quæ parum veritati consona credidi, dissoluerem, ne vllus illis inbutus, à reliquiarum veneratione deterreretur. Nisi enim, illud me impulisset motiuum ad hanc apocrisim describendam, nunquam ego Doctorum minimus ea temeritate vsus fuissem, vt tibi, quo duce, quo magistro S. Patres lego, at summope-

mopere de Ecclesia benemerito contradicerem.

Non tamen te oro, vt supprimas quæ in mea apocrisi religioni tantisper aduersa, aut incommoda videbuntur, quia ab his omnibus caui, non tantùm meo studio, sed præcipuè examine Doctorum, quorum iudicio, vt par erat, me subieci: rogarem potius, vt amicis tuis illam communices, vt in illorum animis in Sanctas reliquias adaugeatur deuotio, & si qua patiantur dubia, ab illis penitus liberentur, vt summum est meum desiderium.

X X.

Si de appendice velis, dicam, quid sentiam vera sunt principia, quamquam in conclusionibus peccare videaris. Verùm est quod Christus Dominus sic sepultus fuerit, vt caput illius ad Occidentem, & pedes ad orientem aspicerent. Addo quod S. Petrus in Vaticano Cęmeterio in hoc eodem situ repertus fuerit sicut, & SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ corpora; non tamen cre-

crederem concludendum esse, quod Sacerdotes sic debeant tumulari: cum ille ritus sit de genere eorum, qui pro temporum, & locorum varietate mutari possunt, salua religionis, ac disciplinæ Ecclesiasticæ integritate. Vtinam in hac sola circumstantia Sacerdotes à Christo discordarent, omnia rectissimè procederent, nec esset, cur modus illorum sepulturæ iam passim receptus redargueretur.

Maiori cum fundamento reprehendendos esse existimo illos, qui magis curiosè, quam piè Sacras Catacumbas visitant, Sanctum Hieronymum, & Prudentium minimè imitantes, qui illas tanquam veneratione plenas, vt in principio tuæ epistolæ Theophilo Gallo exhibuisti, ingrediebantur, illud Virgilianum in mente reuoluentes.

Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.

Non illo curiositatis, aut irrisionis, quæ in aliquibus aduertitur, gestu cęmeteria adibat Sanctus Carolus Borromæus, qui cum in cœmeterium

Cal-

Callisti die S.Sebastiani festo venisset, ibidem voluit in oratione pernoctare, & die S.Agnetis orto, illac pedes petijt Ecclesiam eiusdem S.Virginis in via Nomentana, vt testatur bulla suæ Canonizationis. Nec ridens S. Philippus Nerius per multos annos noctes integras in ijsdem Catacumbis in oratione insumere solitus erat.

Pro ijsdem Cęmeterijs Summi Pontifices, quicquid potuerunt, vt venerationem in fidelibus augerent, egerunt teste Anastas. Biblioth. qui de S.Fabiano scribit. *Hic multas fabricas per cęmeteria fieri pręcepit.* De Ioanne III. *Hic ampliauit, & restaurauit cęmeterium Sanctorum Martyrum, & instituit, vt oblationes hamulæ, & luminaria per eadem cęmeteria in omnibus Dominicis è Lateranis administrarentur.* De Gregorio III. *Hic institutis disposuit, vt in cęmeterijs Sanctorum Martyrum circumquaque positis Romæ, in die natalitiorum ipsorum, luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas per Sacerdotem,*

tem, qui pro tempore fuerit. Et de Nicolao Primo: *Hic Pontifex cęmeterium Sancti Marci inter Viam Appiam, & Ardeatinam multis ruinis conquassatum, atque contritum mirifice construxit, ac decorauit, diuiniquecultus mysterium, quod multos post temporum cursus discesserat, restituit*.

Nemo nescit plures Summos Pontifices æstuante persecutione in eisdem cęmeterijs Synodos coegisse, ordinationes habuisse, sacro baptismate cathecumenos initiasse, ac vacillantes in fide confirmasse verbi Dei prædicatione. Omnem igitur merentur fidelium venerationem, sicque contra religionem quadantenus peccant, quicumque subsannantes illa sacra perlustrant cęmeria.



APPEN-

APPENDIX.

De modo cultus Sacris reliquijs impendendi.

MOnuiſti, eruditiſſime Euſebi, quoſdam in honorandis Sanctorum reliquijs modum excedere: ſed nihil hactenùs in illos dixi, ne filum difficultatis, quæ inter nos erat, diſtraherē, nunc verò aptiùs paucis analyſim decreti generalis Sacræ Congregationis Rituum ab Innocentio XII. approbati die 19. Octobris anni 1691. contra nonnullos abuſus, qui in cultum quorumdam Sanctorum irrepſerunt, hìc appendam.

Duo hæc concurrere debent, vt Sanctorum reliquiæ, quantumuis inſignes, ſolemni cultu, quem num. 1. meæ apocriſeos deſcripſi, honorentur. Primò debent eſſe reliquiæ Sancti in martyrologio Romano deſcripti. Secundo conſtare debet de identitate corporis illiuſ-

liusmet Sancti, qui in prædicto necrologio describitur. Si hæc non conueniant, specialis à Sancta Sede Apostolica obtineri debet concessio, qualem RR. PP. Carmelitæ Discalceati Cœnobij S. Pancratij obtinuerunt, vt officium & missas celebrarent de S. Iulio Senatore, cuius esse corpus existimabant, illud, quod dono acceperant ab Eminentissimo Domino Cardinale Ottobono, iam à biennio. Sed dignum certè Romana grauitate iudicium pronunciarunt Sacræ Congregationis Rituum Eminentissimi Patres. Quia non constabat, quod corpus Sacrum in cœmeterio Calepodij de nouo repertum, esset reuera corpus S. Iulij Senatoris, cuius mentio fit decimo quarto Kalendas Septembris in Martyrologio Romano, ita formatum est decretum, vt Patres Carmelitæ prædicti Cœnobij quotannis die iam dicta officium recitare possent de S. Iulio Senatore, non propter corpus, quod habebant, siquidem non sufficienter probauerant esse illiusmet S. Iulij Senatoris, epitaphio illud in-
du-

dubio adhuc relinquente: ſic enim legitur.

S. IVLIVS . IVS . MAXIMVS

Sed propter deſcriptionem S. Iulij Senatoris in martyrologio Romano.

Dubium de identitate corporis S. Iulij Senatoris à PP. Carmelitis prætenſi omninò nunc ſublatum eſt, quia conſtat illud non Romæ, ſed Florentiæ exiſtere in Eccleſia S. Mariæ in campo ſub iuriſdictione Epiſcopi Feſulani poſita, vt videre eſt ex inſcriptione ſequenti, quæ legitur ſupra vrnam ad cornu Euangelij collocatam.

D. IVLII SENATORIS ROMANI,
ET MARTYRIS
CORPVS EX COEMETERIO CALEPODII ERVTVM,
AC VRBANI VIII. PONT. MAX.
BENIGNITATE
ACCEPTVM, LAVRENTIVS ROBBIA
EPISC. FESVLANVS
ET COMES PICIS IN DONVM,
AC IN MVNERIS

AV-

AVCTOREM GRATVS HOC SARCOPHAGO INCLVSIT
XVI. KAL. IVNII. 1643.

Sic obuiam iuerunt Eminent. Patres confusioni historiæ Ecclesiasticæ, quæ apta erat nasci in lectionibus,& in concionibus., in quam incidisse refers eos, qui S. Felicissimum nuper Parisios allatum palam faciunt, quasi verò ille Felicissimus S. Sixti Papæ,& martyris Diaconus fuisset, ac S. Victori acta S. Victoris Mediolanensis martyris tribuunt.

Nescio an grauiùs peccarint contra religionis, ac historiæ Ecclesiasticæ integritatem illi, in quos sexta Synodus hunc canonem 63. condidit: *Quæ à veritatis hostibus falsò conficta sunt Martyrum historiæ, vt Dei martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari iussimus, sed eas igni tradi, qui autem eas admittunt, vel tanquam veris his mentem adhibent, anathematizamus.*

Absit tamen vt existimem SS. Felicissimi, Victoris, & Ouidij &c. exorna-

natores, intendiſſe Sanctis iniuriam irrogare martyribus, & ad infidelitatem deducere auditores. Illos crediderim pio in illos affectu ſimilia à veritate aliena diuenticaſſe. Sed in huiuſmodi rebus non excuſat bona intentio, vbi ex gloria vnius Sancti nomine proprio, & factis fortaſſe incogniti, alter antiquorum Patrum ſcriptis laudatiſſimus à proprio gradu quodammodo excidit. Non ſufficit de Sanctis magna prædicare, ſed vera probanda ſunt. Ad hæc Græci Antiſtites prædicti canonis 63. ſextæ Synodi directione attendebant: Parochias ſuas viſitantes exactiſſima vti ſolebant diligentia, vt de actis Sanctorum Martyrum conſcriptis ſubtiliter exquirerent. Vnde Theodorus Balſamon de Nicolao Muzalo Patriarcha teſtatur: *cum ille vitam S. Pareſceues, quæ in quodam Callicratiæ vico colebatur à quodam Vicario ineptè, & indoctè, & Sancta Angelica viuendi ratione indignè compoſitam inueniſſet, eam igni mandari iuſſit, & Diacono Baſilico mandauit Deo gratam, & acceptam eius vitam conſcri-*

In Can. 63. ſextæ Syn.

 ere,

bere. Non in solo Oriente viguit studium vitas Sanctorum à falsis & ineptis purgandi, sed magis in Occidente floruit. Huius rei testimonium præbet Concilij Lateranensis IV. cui per se præfuit Innocentius III. anno 1215. canon 62. quem referendum hic esse duxi, vt omnes videant quomodo reliquiæ honorandæ sint, & à Summo Pontifice sint approbandæ. *Cum ex eo quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni detractum sit sæpius: Ne imposterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales: inuentas autem de nouo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Summi Pontificis sint approbatæ. Prælati verò non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias accedunt, varijs figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit.*

Extra, de reliq. & ven. SS. cap. cum ex eo.

Nisi dicta repetere me pigeret auctoritatem S. Gelasij, & Gregorij Lingo-

gonensis hic apponerem, sed quia numero IX. quiuis eam legere poterit, cum Sancto Bernardo concludo, quod *contra ritum Ecclesiæ, & inconsulta auctoritate Apostolica in festiuitatibus præsumpta nouitas sit mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis.*

Ep. 174. ad Canonic. Lugd.



DECRETVM GENERALE

Sacræ Congregationis Rituum,

A B

INNOCENTIO XII.

APPROBATVM.

Contra nonnullos abusus, qui in cultum quorumdam Sanctorum irrepserunt.

CVm Sacræ Rituum Congregationi innotuerit, quam plures abusus irrepsisse circa recitationem officij, sub prætextu decreti ab eadem Congregatione euulgati de anno 1630. & in Breuiario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari officia, & missas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora, aut reliquiæ insignes in ea asseruntur: Eminentissimi Patres eidem

eidem Congregationi Præpositi ijsdem abusibus euellendis præcipuè intenti, inhærendo decretis aliàs in similibus editis declararunt prædicta officia Sanctorum ratione corporis, seu insignis reliquiæ recitanda intelligi debere de Sanctis dumtaxat in martyrologio Romano descriptis. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari, & missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes reliquiæ in Ecclesijs asseruentur: Quibus tamen ab Ordinarijs locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus seruatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque officio, & missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, alijsque in constitutione B. Pij V. contentis. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua eiusmodi decretum approbauit,

ac

ac vt debitæ executioni demandetur, locorum Ordinarijs iniungendum esse præcepit. Die 19. Octobris eiusdem anni 1691.

A EPISC. OSTIENS. CARD. CYBO.

Loco ✠ Sigilli.

S. Vallemanus Sac. Rit. Congr. Secret.

ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. 1691.



